
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

DE INTERROGATIONUM ENUNTIATIVARUM USU HORATIANO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN


ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ALBERTUS GRABENSTEIN
PALAEOMARCHICUS.

HALIS SAXONUM,
TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN).
MDCCCLXXXIII.


DEC 8 1900

Parentibus Dilectissimis

Pio Gratoque Animo

Auctor.

Praefatio.

Perpauci sunt scriptores, quorum libri a viris doctis tam accurate pervestigati commentariisque uberrimis illustrati sint, quam Horatii. Quicunque autem in studiis illius poetae Romanorum elegantissimi versati sunt, omnes consentiunt, verba tradita ad eam, qua opus est, integritatem perfectionemque adhuc non pervenisse (cf. Kirchneri prol. ad edit. serm. Hor. p. 9—12). Itaque hac aetate multi id studuerunt, ut ea, quae propria sunt elocutionis illius poetae, indagarent exemplisque probarent, quippe cum inde nonnihil ad carmina eius emendanda et ad syntaxin linguae latinae accurate constituendam redundaturum esse putarent. Atque ego quidem, cum aliquamdiu Horatii libris legendis operam navassem, haud alienum esse duxi, subtilius inquirere, quanam ratione in formandis interrogationibus enuntiativis imprimisque in usurpandis particulis uteretur Horatius, praesertim cum nostro demum saeculo interrogationum ratio ita tractari coepta sit, ut aetatem optimarum artium studio diligenter inservientem decet. Nam accurata ejusmodi observatione adminicula suppeditari minime contemnenda iis, qui linguae latinae historiam persequi sibi proposuerunt, in promptu est. Etenim quot scriptores, tot scribendi genera, recteque monet Cicero (orator 16, 53) „quot orationum genera esse diximus, totidem oratorum reperiuntur.“ Atque ut in arte oratoria, ita in omni genere literarum suum quisque scriptor conformavit orationis genus.

Jam vero ut omittam alios, qui scripserunt de particulis latinis, nolo hoc loco silentio praeterire praestantissimum illud Ferdinandi Handii opus summa ac paene incredibili diligentia conscriptum, quod inscribitur „Tursellinus seu de particulis Latinis commentarii.“ Quem quidem librum magno mihi emolumento fuisse in hac dissertatione elaboranda grato animo confiteor. Deinde me adjuverunt maxime ea quae Draegerus, „historische syntax der lat. sprache, Leipzig 1878“ et Kuehnerus „ausführliche grammatik der lat. sprache, Hannover 1878“ congesserunt.

Quotiescumque autem in scribendis singulis locis codices inter se differunt, ut lectiones eorum afferri necesse sit, ad auctoritatem Kelleri et Holderi, qui in classes descripserunt universam librorum manuscriptorum copiam me conferam, quippe quorum collationibus accuratissimis et uberrimis poetae verbis recte constituendis firmum quasi fundamentum positum sit. Itaque notas criticas et distinctiores explicationes a Kellero in epilegomenis prolatas diligenter adhibebo. Rationem autem a Kellero probatam dubiis locis sequar ita ut, ubi duae classes codicum inter se consentiant, hanc lectionem alteri a tertia classe exhibitae praeferam (cf. Kellerum, praefatio I, p. 8 et III, p. 790). Aliorum libros, quibus utar, hic afferre nolo, cum suo quemque loco adnotaturus sim.

Tum mihi addendum est, omnes me editiones a viris doctis comprobatas adhibiturum esse. In afferendis autem locis e carminibus et epodis desumptis sequar editionem Nauckii ante septem annos in lucem prolatam, in sermonibus et epistulis Kruegeri editionem quattuor ante annis emissam.

In disponenda materia eum sequar ordinem, ut primum in disiunctivas interrogationes inquiram, deinde in eas, quae incipiunt a particula „an“, quippe quas ad disjunctionem revocandas esse atque medium, ut ita dicam, locum obtinere inter disiunctivas et simplices interrogationes appareat, tum earum interrogationum simplicium, quae per „ne“ proferuntur, postea earum, quae a „num“ incipiunt, postremo earum, quae particulis carent, usum describam. Atque eam exempla disponendi viam propterea ingrediar, quod omnes interrogationes enuntiativae primitus revocandae sunt ad disjunctionem (cf. Pott, etymol. forsch. I. aufl. II, p. 366), quae etiamsi distinctis verbis non exprimitur, tamen recondita e sententiarum nexu perspici et suppleri potest.

Atque unicuique generi interrogationum pauca de particularum, quibus illae introducuntur, origine et vi genuina praemittam, quo accuratius perspiciatur, qua ratione significatio primitiva paulatim commutata et peculiarem in modum quasi longius progressa sit. Quo modo cum facillime perspici possit, quid Horatii proprium sit, non inutilem laborem suscepisse mihi videor ac spero fore ut aliquid fructus commodique ex dissertatione mea capiatur.

Quibus rebus praemonitis jam ad ipsam rem aggrediamur.

Caput I.

De interrogationibus disiunctivis.

Priusquam de interrogationum disiunctivarum usu, qualis fuerit apud Horatium, accuratius disseram, pauca praemittere mihi liceat de omnium interrogationum disiunctivarum communi vi ac natura et de particularum „utrum“ et „an“ origine. Acquiescendum autem mihi esse judico in iis, quae viri doctissimi de hac re praeceperunt Kuehnerus, lat. gram. II, p. 1012 sqq.; Draegerus, hist. synt. I, p. 318—324, II, p. 464—470; Handius, Turs. I, p. 296—361. Docent enim illi viri docti disiunctivas interrogationes ita formatas esse, ut si altera pars fieret, alteram non fieri, vel si alteram affirmaremus, alteram negari necesse sit. Qua de causa eae tantum particulae in ejusmodi interrogationibus exstant, quibus vis disiungendi inest. Quarum e numero primum de particula „utrum“ mihi dicendum est. Quae particula, quam primitus neutrum genus pronominis interrogativi „uter“ fuisse apparet, paulatim naturam pronominis abiecit et in notionem disiunctivae particulae abiit. Quamquam apud scriptores aureae, quae vocatur, latinitatis inveniuntur exempla, ubi primaria vis facile perspicitur ex eo, quod „utrum“ interrogationi disiunctivae, cujus partes per „ne“ et „an“ inter se opponuntur, praemittitur (cf. Corssen, kritische beitraege zur lat. formenl. p. 303 sq.). Vim autem principialem „welches von beiden“ paulatim prorsus evanuisse, optime apparet ex iis exemplis, in quibus particula non duo sed tria enuntiati membra disjunguntur. Sed de vocabulo „utrum“ hactenus.

Restat ut de vi ac natura particulae „an“ ea proferam, quae viri docti, qui summam operam in linguis inter se comparandis posuerunt, de hac re docuerunt, Pottius, etym. forsch. I, p. 420 sqq.; Corssenus, krit. beitr. p. 303 sq.; Boppius, vergl. gram. II. aufl. II, p. 181, qui miro quodam consensu dicunt, „an“ particulam ab illa

late patenti pronominis sanscritici „a—na“ = jenes radice derivandam esse. Propria igitur et genuina huius vocis significatio fuit alternationis vel disiunctionis et ob eam rem cum Graecorum particula „ἄν“ et Gothorum „an“ cognata est (cf. Pottium l. c. p. 381; Leo Meyer., an im griech. lath. goth. p. 6 et 7). Jam vero ex usu, qui in lingua latina est, apparet, particulam „an“ inde ab antiquissimis monumentorum reliquiis usque ad auream, quae dicitur, aetatem et apud rerum scriptores et apud poetas ita usurpatam esse, ut tantummodo in interrogationibus disiunctivis iisque sententiis poneretur, quae cum illis arte cohaererent et ex illis ortae essent (cf. Kruegerum, lat. gram. § 516, 4, adn. 1.). Neque evanuit haec propria vis nisi apud posterioris demum aetatis scriptores et apud poetas, qui Augusto imperatore floruerunt (cf. Kuehnerum, l. c. II, p. 1023; Draegerum, l. c. II. p. 460 sqq.; Madvigium, lat. sprachl. § 463; Handium, Turs. I, p. 305 sqq.). Plerumque autem disiunctivam vim inesse particulae, inde facile intelligitur, quod nunquam prius interrogationis disiunctivae membrum particula „an“ introducitur. Nam omnes interrogationes, quae ab „an“ nullo praecedente membro incipiunt, ad disiunctivas revocandae sunt (cf. Madvigium, l. c. § 463, Kuehnerum, l. c. II, p. 1018 sqq.; Draegerum, l. c. I, p. 321.) ita ut prius membrum, si distinctis verbis non expressum est, tamen sive e praecedentibus verbis sive et toto sententiarum nexu cogitatione supplendum sit. Vis autem interrogandi, quae primitus particulae non inerat, ei allata est ex oppositione particularum „utrum“ et „ne“, quibus propria notio interrogandi subsit (cf. Pottium, l. c. p. 423). Qua facultate interrogandi praeditum „an“ differt etiam ab aliis particulis, quibus nihil efficitur, nisi disiunctio vel verborum vel enuntiatorum, velut „aut etc.“ Jam vero refutanda est eorum opinio, qui per „ve“ interrogationes disiungi vel opponi existiment. Nam quod apud nonnullos posterioris aetatis scriptores exstat passim ille usus, ad auctores aureae aetatis non pertinet, apud quos, siquando a codicibus „ve“ pro vulgari „ne“ exhibetur nescio an librariorum lapsui calami tribuendum sit. Quae postquam de origine particulae „an“ praemisimus, jam transeamus ad usum disiunctivarum interrogationum Horatianum accuratius illustrandum.

§ 1.

Utraque pars interrogationis disiunctivae distinctis verbis exprimitur.

A.

Interrogationes sunt directae.

a.

Utrumque membrum particulam habet.

1. **utrumne — an**

epod. 1, 7

Utrumne jussi persequemur otium
Non dulce ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi decet
Qua ferre non mollis viros?

„Utrumne" particula, cujus vis affixo „ne" augetur, duae partes disiunctionis maiore vi inter se opponuntur quam simplici „utrum". Qua vocula, quae nusquam nisi apud Horatium et rerum scriptores posterioris aetatis invenitur, Horatius tribus locis utitur cf. Kuehnerum, l. c. II, p. 1016 sq.; Draegerum, l. c. I, p. 320; Handium Turs. IV, p. 80; Madvigium, lat. sprachl. p. 418 et 419. — Rectius Orellius interrogandi signum post „simul" omisit.

2. **ne — an**

od. III, 27, 42

Meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentis
Carpere flores?

od. III, 27, 38

Vigilansne ploro
Turpe commissum, an vitiis carentem
Ludit imago?

sat. II, 3, 67

Tune insanus eris, si acceperis, an magis excors
Reiecta praeda?

epist. I, 1, 65

Isne tibi melius suadet, qui . . . .
An qui . . . . hortatur et aptat?

epist. I, 3, 12

Fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet auspice Musa,
An tragica desaevit et ampullatur in arte?

epist. II, 1, 41

Inter quos referendus erit? veteresne poetas,
An quos et praesens et postera respuat aetas?

Non duo sed tria membra particulis „**ne — an — an**" disjunguntur ita, ut si unum affirmetur, cetera membra neganda sint, his locis

epod. 7, 13

Furorne caecos an rapit vis acrior,
An culpa? responsum date.

epist. I, 3, 3

Thracane vos . . . .
An freta . . . .
An pingues Asiae campi collesque morantur?

b.

In priore disiunctionis parte interrogativa particula omittitur.

od. III, 4, 5

Auditis, an me ludit amabilis
Insania?

epod. 16, 23

Sic placet, an melius quis habet suadere?

sat. I, 3, 22

Ignoras te, an ut ignotum dare nobis
Verba putas?

Pronomen „uterne" subsequentibus disiunctivis membris praemittitur et in suas partes dividutur in

sat. II, 2, 108

Uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui
Pluribus assuerit mentem corpusque superbum,
An qui contentus . . . aptarit?

In exemplo subsequente Kelleri et Holderi lectionem a Kruegero recedens afferam

sat. II, 3, 246

Quorsum abeant? Sani ut creta an carbone notati?

Hoc loco codicum et editorum lectiones valde inter se discrepant. Libri manuscripti exhibent haec: „sanii" (Parisinus 7971), „sani creta" (Parisinus 7974 et 7972), „sane a i n" (cod. Dessav. A), unus codex Feae „sanine creta." Ex hac scriptura Marcilii conjectura profluxisse mihi videtur „sanin creta", quam Bentleius quoque in textum recepit nulla causa commotus, nisi quod „sanin" proxime accedit ad lectiones nonnullis codicibus, quos quidem Bentleius excussit, traditas „sani creta" et „sani an creta." Quid mirum autem, quod auctoritate Bentleii adducti multi recentiores editores eum secuti sunt, velut Ritter., Kruegerus, Braunhard., Orellius, Kirchnerus, L. Muellerus? Quamquam in hac lectione offendendum non est, tamen his temporibus haud ita pauci exstiterunt (Fritzschius, Doederlinius, Dillenburgerus), qui optimorum atque plurimorum codicum scripturam, quos Bentleius non inspexerat comprobantes „sani ut" in textum receperint (cf. Keller., epil. II, p. 549). Et recte quidem. Nam quod nonnulli in eo offendunt, quod comparandi particula „ut" vocabulo „sani" postposita est, moneo apud Horatium etiam altero loco sat. I, 3, 89 „captivus ut audit" idem factum esse. Qui usus in graeca quoque lingua invenitur, veluti Ilias III, 2, Ilias XV, 579, Ilias IX, 297 θεὸν ὥς (cf. Buttmann. griech. gram. § 13, 4 et adnotatio.) Iam vero addendum mihi esse videtur, apud nonnullos editores hunc locum prava distinctione laborare, cum interpungant „quorsum abeant sani?" Quae quam falsa esset, Bentleius dilucide exposuit, ut non sit, cur aliquid addam. Sed alius discriminis mentionem fieri operae pretium esse videtur. Legunt enim alii „notandi" [1]), alii „notati",

---

[1]) Quod Heindorfius lectionem „notandi" defendit hoc modo „notandi aber ist allein richtig, nicht notati, wie Bentl. aus mehreren codd. geschrieben hat. Sind sie schon creta oder carbone notati, so kann nicht gefragt werden, quorsum abeant? Dies quorsum abeant wird offenbar durch den folgenden zusatz erklaert", ex his verbis apparet, virum doctissimum non satis perspexisse, quid sibi vellent Bentleii explicationes. Fingit enim poeta homines ad medicum adduci, qui in eorum mentes inquirat. Ille alterorum nomina creta depingit, ut sanos illos esse indicet, alterorum carbone inscribit et in numerum insanorum refert.

quarum lectionum posterior magis arridet non solum propterea, quod majorem praebet interpretibus diffucultatem, sed etiam quod fide optimorum librorum nititur cf. Kellerum et Holderum edit. II, p. 133; Kirchnerum, l. c. I, p. 217.

sat. II, 6, 55

Quid? militibus promissa Triquetra
Praedia Caesar an est Itala tellure daturus?

epist. I, 1, 62

Roscia, dic sodes, melior lex an puerorum est
Nenia?

epist. I, 4, 3

Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat,
An tacitum silvas inter reptare salubres?

pro „dicamne te scribere ejusmodi aliquid, ut vincat, an dicam te reptare?"

epist. II, 1, 37

Inter
Perfectos veteresque referri debet an inter
Viles atque novos?

B.

Eae interrogationes, quae e verbis pendent.

De modorum quidem usu, qui in interrogationibus obliquis apud Horatium invenitur, in universum animadvertendum est, eum ab illis legibus, quae omnino de illa re valent et a scriptoribus optimis aureae aetatis constitutae sunt, non recedere, praeterquam quod interrogatio directa pro obliqua nonnunquam poetarum licentia posita invenitur. Oratio enim tam concitata est tamque celeriter fluit, ut poeta primarium et secundarium enuntiatum non per hypotaxin alterum alteri subjungat, sed per parataxin juxta ponat ita ut utraque sententia per se stet. Quem

---

Postquam autem notati sunt, discedunt a medico hi carbone, illi creta notati. Itaque e verbis praecedentibus „quorsum abeant?" supplendum est „abeant" ita ut verba mihi Acronis explicationem secuto hoc fere modo interpretanda videantur: quorsum abeant? abeant ut sani creta notati, an abeant ut insani carbone notati? cf. Kirchnerum in edit. satir. II, 2, p. 100.

usum e vivido sermocinandi genere, quod in poematibus exstat, derivandum jam apud comicos poetas saepissime inveniri Holtzius, synt. priscorum etc. II, p. 110; Ed. Bekkerus, de syntaxi interrog. obl. etc.; Haasius ad Reisig. p. 597 adn. 504 exposuerunt cf. etiam Kuehnast. liv. synt. p. 234 et 235. Loci Horatiani, qui huc pertinent, sunt hi

sat. I, 2, 23

Si quis nunc quaerat „quo res haec pertinet?" illuc

sat. I, 2, 69

Diceret haec animus: Quid vis tibi?

sat. I, 3, 19; sat. I, 9. 6; epist. I, 3, 6; epist. I, 6, 42; epist. I, 15, 11; epist. I, 16, 74; epist. I, 17, 3; epist. I, 20, 6; epist. II, 3, 450; epist. II, 3, 461—63.

Huc accedit quod duobus locis od. I, 27, 6 et od. III, 24, 64 indicativus post „immane quantum" et „nescio quid" exstat, ubi ut Holtzii verbis utar, „plerumque haec bina in unam notionem quasi pronominis indefiniti comprehenduntur et duae enuntiationes, quae proprie sunt, in unam contrahuntur (v. p. 115). Denique liceat mihi facere mentionem unius loci

od. I, 14, 3

Nonne vides ut
Nudum remigio latus
Et malus celeri saucius Africo,
Antemnaeque gemant ac sine funibus
Vix durare carinae
Possint imperiosius
Aequor!

ubi ceteri editores plurimorum eorundemque optimorum codicum scripturam (cf. Kellerum epil. I, p. 59) „gemant" et „possint" comprobaverunt, e recentiorum editorum numero Nauckius et L. Muellerus indicativos „gemunt" et „possunt" in textum receperunt. Sed qua causa commoti illi editores hoc loco deteriorum codicum lectionem praetulerint — nam ipsi eam non indicant — in obscuro est. Nam quamquam in Servii commentario ad Vergilii Aeneid. I, 211 et VIII, 577, cum hunc locum affert, bis legitur „possunt" servato conjunctivo „gemant," atque etiamsi ut prisci scriptores latini (cf. Ed. Bekkerum, de synt. interrog.

obl. in „Studemunds studien I, tom. I, p 115 sqq.") nonnunquam Vergilius (Aen. 6, 780; eclog. 4, 52 et 57, quos ad locos cf. Wagnerum in edit. Verg.) atque etiam Horatius (epist. I, 7, 39; epist. I, 17, 3; epist. I, 17, 26) in obliqua interrogatione post „si" notione „ob" positum usurpat indicativum, tamen illa structura multo rarius invenitur neque ulla est causa, cur hoc loco in lectione tradita non acquiescamus (cf. etiam Bentleium ad h. l., qui egregie de hac re disputat). Atque cum Nauckius a. h. l. dicit „der conjunctiv waere verstandesmaessiger, daher weniger an seiner stelle" mihi quidem persuasum est, si tali licentia, quali Nauckius, uti liceret, jam in interpretandis atque emendandis verbis auctorum certam ac firmis fundamentis nixam rationem omnino non relinqui atque codicum auctoritatem prorsus negandam esse ac rejiciendam.

Atque omnem interrogationum disiunctivarum materiam distingui in duas partes „interrogationes verae" et „non verae i." opus non esse existimo, cum vix fieri possit, ut certis finibus uterque ordo circumscribatur, cum persaepe notio quaerendi in vim dubitandi abeat.

a.

Particulae utrique parti adjunguntur.

1. **utrum (utrumne) — an.**

sat. II, 3, 251

Nec quicquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus an meretricis amore
Sollicitus plores.

sat. II, 6, 73

Agitamus, utrumne
Divitiis homines an sint virtute beati.

epist. II, 2, 199

Ego utrum
Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.

E verbis „ferar unus et idem" apparet, Horatii menti notionem „quid refert" vel „nihil refert" obversatam esse ita ut illa verba e quibus pendet disiunctiva interrogatio, cogitatione supplenda sint. Poeta igitur licentia quadam usus in apodosi ea verba posuit, quibus causa, cur nihil referat, affertur. Qua

re cavendum est, ne primo obtutu putemus, „utrum — an“ hic positum esse pro „sive — sive“ id quod Lambinus aliique interpretes docueruut. Immo sententia hujus loci haec est „nihil refert, utrum magna nave ferar an parva; nam ego ferar unus et idem.“ cf. Kruegerum, Schmidium, Duentzerum a. h. l.

epist II, 3, 470

Nec satis apparet, cur versus factitet; utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus.

2. **ne — an.**

od. II, 3,21

Divesne prisco natus ab Inacho
Nil interest, an pauper et infima
De gente sub divo moreris.

Neutrum pronominis „quis“ antecedit disiunctioni, qua ex re perspicitur, „quid“ pro „utrum“ exstare hoc loco

sat. I, 9, 41

Dubius sum, quid faciam, . .
Tene relinquam an rem.

sat. II, 2,32

Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto
Captus hiet, pontesne inter jactatus an amnis
Ostia sub Tusci?

sat. II, 3, 166

Quid enim differt, barathrone
Dones quidquid habes, an numquam utare paratis?

sat. II, 3, 210

Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.

Duplex quasi oppositio vel disiunctio conspicua particularum positione effecta inest loco subsequenti

epist. I, 14, 4

Certemus, spinas animone ego fortius an tu
Evellas agro

ubi non modo „animo“ et „agro“ sed etiam „ego“ et „tu“ inter se opponuntur. Idem fit in

epist. I, 16, 27

Tene magis salvum populus velit an populum tu,
Servet in ambiguo

epist. I, 17, 44

Distat, sumasne pudenter
An rapias.

epist. II, 3, 114 et 115

Intererit multum, divusne loquatur an heros,
Maturusne senex an adhuc florente juventa
Fervidus.

epist. II, 3, 237—239

Ut nihil intersit, Davusne loquatur . . . .
An custos famulusque dei Silenus alumni.
„An“ repetitur hoc loco

epist. I, 16, 3

Ne percontcris, fundus meus . . . .
Arvo pascat erum . . . .,
Pomisne an pratis an amicta vitibus ulmo.

b.

In priore disiunctionis parte particula omissa est, in altera exstat „an“ vel „ne.“

1. **— an**

od. III, 20, 7

Grande certamen, tibi praeda cedat
Major, an illi.

epod. 12, 5

Namque sagacius unus odoror,
Polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis.

sat. I, 1, 49

Quid referat, ...
. . . . jugera centum an
Mille aret?

sat. I, 10, 25

Sermo lingua concinnus utraque
Suavior . . . .
Cum versus facias, te ipsum percontor, an et cum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?

sat. II, 1, 34

Sequor hunc Lucanus an Appulus anceps.

sat. II, 2, 31

Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto
Captus hiet?

sat. II, 3, 157

Quid refert, morbo an furtis pereamque rapinis?

sat. II, 4, 10

Ede hominis nomen, simul et, Romanus an hospes.

sat. II, 7, 59

Quid refert uri virgis ferroque necari
Auctoratus eas, an turpi clausus in arca?

In subsequente exemplo a Kruegeri opinione recedo et editionem epistul. Horat. ab Obbario anno 1837 editam sequor, qui scribit

epist I, 3,31

Debes hoc etiam rescribere, sit tibi curae,
Quantae conveniat, Munatius, an male sarta
Gratia nequicquam coit et rescinditur?

Nam mea quidem sententia verba „sit . . . . . . Munatius“ et „an . . . . . . rescinditur“ inter se opponuntur, ut interrogationem disiunctivam, non duas ac per se stantes interrogationes, ut Kruegerus voluit, efficiant. Docent enim grammatici, velut Draegerus, hist. synt. II, p. 458, simplices interrogationes enuntiativas obliquas cum verbo antecedente interrogandi particula conecti necesse esse. Quae cum ita sint, si codicum optimorum lectionem „sit“ retinemus (cf. Kellerum, epil. III, p. 609) verba „sit . . . . . . Munatius“ pro priore disiunctionis parte habenda sunt, quippe in qua particula interrogandi omitti possit. Ac mea quidem opinio Bentleii et eorum, qui eum secuti sunt, conjectura sustentatur. Nam vir doctissimus, cum putaret, fieri non posse, ut in una eademque disiunctione obliqua verborum modi inter se differrent, lectionem „si“ a paucis libris mss. traditam in textum recepit et hoc modo disiunctionem sustulit. Illa autem modorum varietas non impedit, quominus disiunctionem retineamus. Nam in eadem periodo modos varios esse Schmidius l. c. et Obbarius l. c. a. h. l. et Dissenius ad Tib. III, 1, 20

docuerunt. Restat ut dicam, bene cum sententia hujus loci congruere id ipsum, quod Horatius ex indirecta oratione ad rectam subito transiit. Quam ad rem bene adnotavit Obbarius, I, p. 220 haec „quod Horatius ex oratione indirecta ad rectam subito transit, non est sine quadam rei et ingratae et inexspectatae significatione, quam particula „an" auctam sentimus."

epist. I, 6, 12

Gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem?

epist. I, 12, 20

Sublimia cures
Empedocles an Stertinium deliret acumen.

epist. I, 14, 5

Certemus, ... melior sit Horatius an res.

epist. I, 16, 12

Ne perconteris, fundus meus . . . . . .
Arvo pascat erum an bacis opulentet olivae.

epist. I, 18, 19—20

Ambigitur quid enim? Castor sciat an Docilis plus;
Brundisium Minuci melius via ducat an Appi.

epist. II, 1, 176

Securus, cadat an recto stet fabula talo.

epist. II, 2, 166

Quid refert, vivas numerato nuper an olim?

epist. II, 2, 195

Distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumptum
Invitus facias.

epist. II, 3, 116—118

Intererit multum, ... loquatur . . .
. . . . . matrona potens an sedula nutrix,
Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.

epist. II, 3, 408

Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quaesitum est.

„An" ponitur anaphora his locis

od. I, 12, 33—35

Romulum post hos prius an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos

Tarquini fascis dubito an Catonis
Nobile letum.

epist. I, 18, 102—103

Percontabere doctos,
Quid pure tranquillet, honos an dulce lucellum,
An secretum inter
Reliquum est, ut de uno loco disseram

sat. II, 3, 260

Agit ubi secum, eat an non,

quo altera disiunctionis pars non enuntiato exprimitur sed negatione posita priori opponitur. Cum autem in pendente sententia plerumque non „an non“ sed „necne“ exstet (cf. Kuehnerum, l. c. II, p. 1013 et Draegerum, l. c. II, p. 466), hic locus, quo „an non“ in interrogatione obliqua positum est ab usitato dicendi genere recedit. Sed apud alios quoque atque etiam classicos scriptores „an non“ in interrogationibus obliquis invenitur.

2. — ne.

„Ne“ in posteriore disiunctionis membro particula in priore parte omissa ponitur, si ex eis verbis, quae disjunguntur, dilucide apparet, alterum poni non posse, si alterum ponatur cf. Kuehnerum, l. c. II, p. 1015. Atque etiam ex epist I, 6, 12 „gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem?“ ubi interrogatio praecedit, in cujus altera parte „an“ exstat, efficitur, in subsequentibus verbis „cupiat metuatne“ particulam „ne“ pro „an“ positam esse. Errant igitur Doederlinius et Handius, quorum alter in adnot. ad epist. I, 11, 3, alter in Turs. IV, pp. 86 et 87 contendit, „ne“ simplex positum esse pro duplici „ne — ne“, quibus particulis non opponantur duae interrogationis partes sed anaphora quadam repetantur. Atque in

epist. II, 3, 17

Intererit multum, divusne loquatur an heros
. . . . . . et matrona potens an sedula nutrix
. . . . . mercatorne vagus cultorne virentis agelli,
Colchus an Assyrius,

„mercatorem“ et „cultorem agelli“ inter se opponi eadem ratione, qua in versu praecedente „matrona“ et „nutrix“, in subsequente

„Colchus“ et „Assyrius“ opponuntur inter se, quis est qui neget? Qua re illa opinio prorsus refutanda et in Kuehneri et Draegeri l. c. II, p. 466 praeceptis acquiescendum est. Atque „ne“ in altera disiunctivae interrogationis parte pro „an“ positum apud Horatium invenitur his locis

sat. I, 2, 76

Tuo vitio rerumne labores,
Nil referre putas?

sat. I, 8, 2

Faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum

sat. II, 5, 54

Solus multisne coheres,
Veloci percurre oculo

sat. II, 6, 75

Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos.

Hoc loco „quid“ pro „utrum“ exstat.

epist. I, 6, 12

Gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem?

epist. I, 12, 17

Cures,
Stellae sponte sua jussaene vagentur et errent.

epist. I, 18, 100

Percontabere doctos,
Virtutem doctrina paret naturane donet.

In posteriore parte „necne“ positum est

sat. I, 4, 45

Comoedia necne poema
Esset quaesivere.

sat. I, 4, 63

Justum sit necne poema,
. . . . . quaeram.

Horatius praecedentibus locis solutiore verborum constructione usus est, qua de re v. Schuetzium et Kruegerum ad h. l.

sat. I, 4, 124

An hoc inhonestum et inutile factu
Necne sit addubites?

„An“ cum addubites conjungendum est

sat. II, 6, 72

Sermo . . . .
. . . male necne Lepos saltet.

epist. II, 1, 79

Recte necne crocum floresque perambulet Attae
Fabula si dubitem, clament.

„Ne — ne“ pro „utrum — an“ positum est

epist. I, 15, 15

Collectosne bibant imbres puteosne perennes,
Scribere te nobis . . . . par est.

epist. II, 3, 117

Intererit multum, . . . loquatur . . . .
Maturusne senex an adhuc florente juventa
Fervidus, ...
Mercatorne vagus cultorne virentis agelli.

Restat ut de duobus locis dicam, quibus id est commune, quod codices plurimi iidemque optimi miro quodam consensu (cf. Kellerum et Holderum in edit. ad h. l. et Kellerum, epil. III, p. 642 — 644) legunt „ve“

epist. I, 11, 3

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos,
Quid concinna Samos, quid Croesi regia Sardis,
Smyrna quid et Colophon? majora minorane fama?
Cunctane prae campo et Tiberino flumine sordent?

et

sat. I, 2, 63

Quid inter —
Est in matrona, ancilla peccesne togata?

Scripturam „ve“ si probamus, usus singularis statuatur necesse est, cum primo obtutu particula „ve“ his locis in parte posteriore interrogationis disiunctivae posita esse videatur. Atque etiam non defuerunt, qui particulam „ve“ recte poni in altero disiunctionis membro censerent (cf. Schmidium in epistular. edit.) et ut illum usum singularem sustentarent in medium proferrent illos ipsos locos (cf. Braunhardum, Ritterum, Fritzschium, Holderum, alios), proinde ac si invicem se tuerentur atque alter acciperet fidem ab altero (cf. Dillenburgerum). Quae opinio quam inepta

sit, si quis accuratius rem consideraverit, facile intelleget. Nam cum apud scriptores aureae quam dicimus linguae latinae aetatis „ve“ particulam pro „ne“ in disiunctione positam vix unquam reperias [1]), tum illi duo loci ea re differunt, quod epist. I, 11, 3 interrogatio disiunctiva directa,. sat. I, 2, 63 obliqua exstat.

Atque ut primo loco dicam de epist. I, 11, 3, plurimi editores in lectione tradita „ve“ offendentes Bentleio auctore pro „minorave“ scripserunt „minorane.“ Hos autem viros doctos effugisse videtur, quod in lingua latina apud nullum scriptorem interrogatio disiunctiva directa invenitur, cujus posterior pars priori per „ne“ opposita sit [2]). cf. Draegerum, hist. synt. II, p. 466; Gossrauum, lat. gram. p. 492. — Kuehnerus, qui ejusmodi exempla non afferat l. c. II, p. 1015 tacendo loquitur. — Quae cum ita sint, opiniones eorum refutandae sunt, qui Bentleium secuti „minorane“ pro „minorave“ scripserunt. Ac mea quidem sententia cum Kellero in universum consentiedum est, qui a ceterorum huius loci explicandi ratione abhorrens epil. III, p. 643 magna cum sagacitate exposuit omnes editores in eo erravisse, quod verba „majora minorave fama“ pro interrogatione disiunctiva habenda esse putarent. Disserit enim ille vir doctus haec „wer diese gedankenreihe ohne vorgefasste meinung ueberlegt, wird zugeben, dass gerade die worte: sind sie groesser oder geringer als ihr ruf? absolut nicht hereinpassen. Denn es wird nur danach gefragt, wie dem Bullatius die asiatischen staedte zugesagt haben, nicht aber wird sein urteil verlangt, in welchem zustande gegenwaertig jene plaetze seien. Es handelt sich durchweg nicht um objective, sondern um rein subjective schaetzung, und in diesen zusammenhang passt eben das ueberlieferte minorave ganz vorzueglich herein. „Wie gefallen dir die beruehmten,

[1]) Nullo igitur iure Braunhard. et alii, qui „ve“ retinent, interrogationis signum posuerunt.

[2]) Valde Draegerus vituperandus videtur, qui affirmat hunc ipsum locum Horatianum esse unum solumque, quo altera pars alteri in interrogatione disiunctiva directa „ne“ particula opponatur, quamquam hoc loco „ne“ non codicibis traditum sed interpretum conjectura effectum est. Maxime autem cavendum est, ne, quod ab usu totius linguae latinae recedat, coniectura in verba scriptoris inferamus.

vielgepriesenen haupttouristenstaedte kleinasiens? Gefallen sie dir alle nicht im vergleich zu Rom?" Statt des begriffs „haupttouristenstaedte kleinasiens" stehen nun im texte sechs beispiele . . . . . und danach kommen die viel umstrittenen worte majora minorave fama: offenbar bedeuten sie nichts anderes als ein etcetera, „und die andern staedte jener gegend, welche den genannten an ruhme gleich oder fast gleich, theils voran —, theils nachstehen; z. B. Ephesus . . . . ." Denken wir uns oben statt der stoerenden worte „sind sie groesser oder geringer als ihr ruf?" vielmehr den poetisch ausgeschmueckten gedanken „und so weiter" eigentlich „und wie die andern, groesser oder kleiner an ruf?" so haben wir die einheit des gedankengangs erhalten und zugleich den buchstaben der ueberlieferung." Sed virum doctissimum id effugisse videtur, quod neque notio „und" neque „die anderen" verbis traditis inest. Itaque equidem interrogationis signum post „fama" delendum optimeque sic scribendum esse judico:

Smyrna quid et Colophon? Majora minorave fama
Cunctane prae campo et Tiberino flumine sordent?

Quam conjecturam si comprobamus non modo in lectione codd. tradita acquiescendum licebit sed etiam aptissima ex illis verbis sententia efficitur.

Aliter vero res se habet sat. I, 2, 63, ubi codices in altera parte obliquae disiunctivae interrogationis „ve" exhibent. Cum autem, ut supra dixi, hic usus in lingua latina non inveniatur, jam Bentleius, quem omnes fere editores secuti sunt, pro „ve" emendavit „ne". Et recte quidem; nam si non in interrogatione disiunctiva directa, attamen in obliqua et apud Horatium et apud alios eiusdem ac prioris aetatis scriptores multa exstant exempla, in quibus posterius membrum disiunctionis priori per „ne" opponitur[1]) cf. Madvigium, lat. sprachl. § 643; Handium, l. c. IV, p. 87; Draeger. l. c. II, p. 466; Kuehnerum, l. c. II, p. 1015.

---

[1]) Reiciendae sunt igitur opiniones eorum virorum, qui in tradita lectione acquiescendum putaverunt. Jam vero si Dillenburgerus ad „ve" defendendum illum locum epist. I, 11, 3, de quo modo disputavi, in medium protulit, nescio an luculentissime ostenderim, illum locum minime quadrare ad hunc, quippe in quo interrogatio disiunctiva omnino non contineatur.

Huc accedit quod nihil facilius fieri potest, quam ut in libris „v“ et „n“ literae inter se commutentur (cf. Kellerum, epil. ad h. l.) Quod si vix dubium esse potest, quin emendatio „ne“ probanda sit, in explicando hoc loco editores prorsus inter se dissenserunt ac multas et varias opiniones protulerunt. Atque cardo quaestionis in eo vertitur, utrum ut Acro et Porphyrio (cf. Pauly., schol. Horat. II, p. 99), Bentleius aliique voluerunt, hoc loco tres partes „matrona, ancilla, togata“ an, ut plerique recentiores existimant editores, duae tantum partes „matrona, ancilla togata“ inter se opponantnr, ita ut „togata“ cum „ancilla“ coniungendum sit et ex duobus vocabulis una notio efficiatur. Ac mihi quidem rem paulo accuratius enucleaturo Bentleii eorumque, qui eum secuti sunt, opiniones abiciendae videntur duabus de causis. Primum enim interrogatio disiunctiva efficeretnr ex tribus partibus constans, quarum duae priores particula disiunctiva non interposita ἀσυνδέτως iuxta ponerentur, tertia autem illis per „ne“ opponeretur. Grammatici autem docent in interrogationibus tripartitis secundum membrum semper particula „ne“ vel „an“ proferri necesse esse. Deinde vero nullo modo fieri potest, ut hoc loco „matrona, ancilla, togata“ inter se opponantur, quippe cum notio ancillae hic ineptissima sit. Nam Horatius in versibus praecedentibus ancillarum mentionem non fecit sed matronas iantum et libertinas vel mimas meretricesque inter se comparavit, cum ostenderet, eos qui libidine incitati sive matronas sive libertinas amarent, utique detrimentum capere. Illis enim saepissime summa pericula subeunda esse, hos autem modum transeuntes et rem familiarem et famam perdere. Verbis autem „quid interest etc.“ Horatius argumentationi, ut ita dicam, finem imponit ita ut breviter complexus, quae antea exposuerat, confirmet eum, qui matronae stuprum inferat, aeque stultum et vituperandum esse, aeque modum transire atque eum, qui cum libertina rem familiarem effundat. Apparet igitur, ad hunc sententiarum nexum nullo modo quadrare, si quis matronae et libertinae ancillam opponat. Nam Horatius v. 117 postulat, ut is, qui modice vivere cupiat, ad explendas libidines cum ipsis ancillis concumbat, quippe in quibus peccare nec periculosum sit nec sumptuosum. Suo igitur iure plerique recentiores interpretes vocabulum „togata“

conjunxerunt cum „ancilla“, ut „ancilla togata“ idem esset ac „libertina“ (cf. Orellium, Kruegerum, Kirchnerum, Schuetzium). Nam hoc certe modo sententiarum nexus aptissimus instituitur. Atque revera „ancilla togata“ idem valere ac „libertina“, id omnes consentiunt, qui de hac re scripserunt, velut Acro et Cruquius. cf. etiam Marquardt., roemisch. privatalterth. I, p. 42 not. 204.

§ 2.

Interrogationes disiunctivae, quarum prior pars omissa est.

Postquam de iis interrogationibus disputatum est, quarum utraque pars verbis exprimitur, in hac dissertationis paragrapho de iis disiunctivis interrogationibus mihi dicendum est, quarum prior pars omittitur ita, ut particula „an“ initio enuntiati videatur collocari. Cum autem primitiva vi hujus particulae indicetur, duas res disiungi, altera pars, cui interrogatio ab „an“ incipiens opponatur, mente suppleatur necesse est sive e praecedentibus verbis sive e toto sententiarum nexu. Quam in rem accuratissime inquisiverunt Kuehnerus, l. c. II, p. 1018 sqq.; Draegerus, l. c. I, p. 321 sqq.; Madvigius, l. c. § 463. Neque silentio praetereundum esse censeo interrogationes „an“ particula introductas apud Horatium in oratione directa 20 locis, in obliqua 5 locis exstare.

A.

Interrogationes rectae a particula „an“ incipientes.

Omnia exempla, in quibus „an“ in directa interrogatione ab initio enuntiati positum est, si sub uno conspectu ponimus, in duo genera dividenda esse apparet. Nam is qui quaerit, aut ea, quae suae ipsius sententiae contraria sunt, reicit et refutat eoque modo suam opinionem confirmat, aut ea, quae sibi vel verisimilia vel probabilia videntur interrogando rhetorice, ut ita dicam, exprimit.

a.

Ac primum quidem eos locos proferam, ubi particulae „an“ sive refutandi sive argumentandi vis ac potestas inest. Quo interrogandi genere plerumque responsio negativa exspectatur. Loci sunt hi

epod. 6, 15

An si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

epod. 17, 76

An quae movere cereas imagines
Possim . . . .,
Plorem artis in te nil agentis exitum?

sat. I, 1,76

An vigilare metu exanimem . . . . . .
. . . . hoc juvat?

Subsequente loco a Kruegeri lectione „at si . . . velis . . . perdas“ recedo et Bentleium, qui

sat. I, 1, 88

An, si cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,
Infelix operam perdas?

„an“ in textu posuit, propterea sequor, quod optimi codices hic „an“ exhibent (cf. Keller, epil. II, p. 429). Neque enim illa scriptura sensu caret, verum etiam ad nexum verborum antecedentium optime quadrat. Poeta enim haec fere dicit „noli mirari, quod amorem, quem tibi acquirere non studueris, non concilias. Itaque mores tuos corrige et ipse cognatis amorem affer. Si hoc feceris, omnes tibi benevoli erunt. An putas, fore ut hoc tibi non contingat et ob eam rem inutile esse, amori impetrando te studere?“

sat. I, 2, 59

An tibi abunde
Personam satis est, non illud, quidquid ubique
Officit, evitare?

sat. I, 2, 103

An tibi mavis
Insidias fieri?

sat. I, 4, 124

An hoc inhonestum et inutile factu
Necne sit addubites?

sat. I, 10, 74

An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?

sat. II, 3, 134

An tu reris eum occisa insanisse parente?

sat. II, 3, 278

An commotae crimine mentis
Absolves hominem et sceleris damnabis eundem?

sat. II, 3, 312

An quodcunque facit Maecenas, te quoque verum est
Tantum dissimilem . . . . certare?

epist. I, 11, 5—6

An venit in votum Attalicis ex urbibus una?
An Lebedum laudas odio maris?

epist. II, 3, 265

Idcircone vager scribamque licenter? an omnes
Visuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniae cautus? Vitavi denique culpam,
Non laudem merui.

Nullo iure in his verbis offendit Bentleius, qui optimorum librorum scripturam „an" rejiciens (cf. Keller., epil. III, 758) „ut" in textu posuit. Nam Orellius, cujus interpretationem in universum sequor, nexum verborum, etiamsi „an" particulam retinemus, aptissimum esse demonstravit. Nihilominus liceat mihi paucis accuratius exponere, quo modo verba inter se cohaereant et explicanda sint. Atque Horatius postquam vituperavit vv. 263—64 carminum aestimatores Romanos eosque in duos ordines divisit, quorum alter saepe errata poetarum omnino non videret, alter illis, etiamsi perspiceret, tamen ignosceret, pergit hoc modo: proptereane quod alteri judices menda praetereunt neglegentia, malos versus scribam ac sperem fore ut levia peccata non perspiciantur, an licentia quadam utar in scribendis carminibus et sperem, fore ut menda, etiamsi perspiciantur, tamen non vituperentur, quippe cum alter aestimatorum ordo erratis poetarum indignam det veniam, dummodo ne nimia sint? Quod si facerem, cum non vituperarer, laudem mihi non acquirerem." Si hoc modo verba interpretamur, ex illis effici aptissimam sententiam concedendum est et abjiciendae sunt nonnullorum ut Ritteri explicationes huius loci, quae nimiam interpretandi subtilitatem

prae se ferre videntur. Id unum autem tenendum est, respondere priorem interrogationem a „ne“ incipientem versui 263 et alteram per „an“ introductam versui 264. Itaque coniecturis non opus est, sed in tradita lectione acquiescendum est.

b.

Adhuc disputavi de iis interrogationibus, in quibus negativa responsio exspectatur. Jam accedimus ad eos locos, ubi responsio affirmativa requiritur.

epod. 3, 7

Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit, an malas
Canidia tractavit dapes?

sat. II, 5 58

Num furis? an prudens ludis me obscura canendo?

De his locis, ubi „num — an“ in disiunctione exstare videtur, paulo infra accuratius disseram.

sat. II, 3, 263

An potius mediter finire dolores?

Cum adverbium „potius“ particulae „an“ hoc loco adjectum sit, dubitari non potest, quin responsio affirmativa exspectetur.

sat. II, 7, 109

An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat strigili?

B.

Interrogationes obliquae ab „an“ incipientes.

Ex eis quae supra attuli exemplis apparet, notionem disiungendi, quae particulae „an“ suberat, prorsus ab Horatio servatam esse. In obliquis autem interrogationibus, in quas nunc mihi inquirendum est, apud Horatium disiunctiva vis modo retenta modo omissa est. Nam tres inveniuntur loci, ubi formulis „nescio, an“, „qui scis an“ levis affirmatio exprimitur atque in eiusmodi exemplis disiungendi vim particulae „an“ servatam esse, omnes grammatici docuerunt. cf. Handium, l. c. I, 310 sqq.;

Kuehnerum, l. c. II, p. 1021; Draegerum l. c. II, p. 462 sqq.; Madvigium, l. c. § 463. Et recte quidem. Nam in illis formulis prior disiunctionis pars, cum nullius momenti sit, eodem modo omissa est quo in eis interrogationibus rectis, de quibus supra disputavi. Paulatim autem apud scriptores aureae quam dicimus aetatis disiungendi vis principalis evanuit et vera dubitatio verbis „nescio an etc.“ expressa est, ut „an“ in notionem particularum „num“ vel „ne“ abiret et pro illis poneretur. Quo factum est, ut obscurata vi genuina „an“ vera interrogandi particula fieret atque etiam post verbum interrogandi loco particularum „ne“ vel „num“ poneretur.

a.

Formulis „nescio an, qui scis an“ affirmatio exprimitur.

od. II, 4, 13

Nescias an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes.

sat. II, 3, 83

Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.

epist. II, 3, 462

Qui scis, an prudens huc se deiecerit atque
Servari nolit?

b.

Uno loco formula „quis scit an“ vera dubitatio exprimitur.

od. IV, 7, 17

Quis scit an adjiciant hodiernae crastina summae
Tempora di superi?

c.

„An“ particula interrogativa facta est et pro „ne“ vel „num“ exstat.

epist. II, 3, 436

Quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus.

Caput II.

De interrogationibus simplicibus.

In omnibus interrogationibus enuntiativis disiunctionem, etiamsi verbis non exprimitur, tamen mente reconditam primitus fuisse liquet. Nam is, qui quaerit, ut de aliqua re certior fiat, si disiunctiva interrogatione utitur et ob eam rem utrumque membrum verbis exprimit, interrogat, utra ex duabus rebus dubiis fieri possit, si simplicem interrogationem usurpat, indicat alteram rem vix fieri posse et ob eam causam alterum membrum opprimit, quamquam initio menti obversabatur.

§ 1. a.

Interrogationes a particula „ne“ incipiunt.

Ac primum quidem dicendum mihi est de iis interrogationibus, quae a „ne“ incipiunt. Quae vox etiamsi quantitate a „ne“ prohibitiva particula differt, tamen primitus unum idemque vocabulum atque illa fuit. Derivatur enim utrumque vocabulum ab eadem radice sanscritica „na“, quae aliquam rem negari significat cf. Boppium, vergl. gram. II. aufl. II, p. 178; (= p. 535—537, I. aufl.) Pottium, etymol. forsch. pp. 381, 384, 420; Curtium, grundzuege der griech. etym. II. aufl. 1866, p. 284. Cum autem unicuique interrogationi aliquid inhaereat negationis (cf. Handii Turs. IV, p. 73), propterea quod is qui interrogat, aut reapse id quod sciscitatur, nescit, aut certe aliquid se adhuc nescire simulat, factum est ut eadem particula Romani et in negativis et in interrogativis enuntiatis uterentur. Sed paulatim discrimen quoddam inter illas particulas intercessit; nam „ne“ interrogandi particula, imminuta quantitate, cf. Kuehnerum, l. c. II, p. 1002, tantum enclitice ei verbo affixa est, quod sensu etictu praevalebat in sententia (cf. num et nunc).

I.

Particula „ne“ inservit interrogationi formandae.

1.

Interrogationes particula „ne“ introductae sunt directae.

A.

E genuina negandi vi causa repetenda est, cur per „ne“ propriam interrogandi particulam, plerumque is quaerat, qui dubitans vel ignarus revera certior vult fieri de aliqua re neque indicat, utrum affirmativa an negativa responsio exspectetur. Cujus generis exempla haec sunt

sat. II, 3, 97

Quas (divitias) qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus. „Sapiensne?“ Etiam, et rex
Et quidquid volet.

Sat. II, 7, 2

Davusne? — Ita, Davus.

Quamquam primo obtutu nobis mirum esse videtur, ejusmodi exempla apud Horatium paucis locis inveniri, tamen, si accuratius hanc rem consideraverimus, causam et in natura Horatii et in scribendi genere positam esse facile intellegemus. Nam poeta qui mores corruptos castigare et corrigere studeat, ubique et in lyrica et in didactica poesi omnia ad se ipsum revocat, ut etiam interrogationibus utatur, non tam ut certior fiat de aliqua re quam ut vel suam ipsius sententiam interrogando indicet vel affectum quendam exprimat.

B.

Responsio quae desideratur est negativa, cum is qui sciscitatur persuasum habeat, responderi non posse nisi negativa sententia. Itaque „ne“ quamquam non idem sibi vult ac „num“, tamen nonnunquam ad significationem hujus particulae prope accedit. Ironia quaedam inest ejusmodi interrogationibus propterea, quod is qui quaerit, cum haud ignoret, quonam modo sibi responderi necesse sit, utrum affirmativo an negativo, tamen se adhuc de responsione dubitare simulat (cf. Kuehnerum l. c. II, p. 1003, β; Handium l. c, IV, p. 75).

sat. I, 2, 109

Hiscine versiculis speras tibi posse dolores
. . . . e pectore tolli?

sat. I, 9, 69

vin' tu
Curtis Judaeis oppedere? „Nulla mihi, inquam,
Religio est.“ At mi: sum paulo infirmior.

Bentleii lectio commemoranda est, qui adhortationem his verbis inesse suspicatus ob eam rem pro „vin tu“, quam scripturam optimi codices exhibent (cf. Kellerum, epil. II, p. 503), legit „vis tu“. Cum. autem a grammaticis (cf. Kuehnerum II, p. 1003) et a Bentleio ipso constitutum sit, verbis „vis tu“ notionem „iubendi vel adhortandi“ expressam esse, illum virum hoc loco erravisse in proptu est. Nam non adhortationem sed veram interrogationem ironice prolatam his verbis inesse, et v. 65 „male salsus ridens dissimulare“ et verbis subsequentibus „at mi“ confirmatur. Itaque hic locus cum illo, in quo nititur Bentleius sat. II, 6, 92

Vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?

conferri non potest, cum e sententiarum nexu efficiatur, sensu illos locos inter se differre (cf. Heindorfium, des Q. Hor. Flaccus satiren, III. aufl. 1859, a. h. l.). Jam vero addendum mihi est in verbo „vin“ literam „s“ elisione evanuisse, qua de re disputant Handius, l. c. IV, 91 et Draegerus, l. c. I. p. 312. Exempla affert e comicis Romanorum poetis desumpta Holtzius, synt. priscor. script. etc. 1862, II, p. 265, i.

sat. II, 3, 128

Quare,
Si quidvis satis est, periuras, surripis, aufers
Undique? Tun sanus? [1])

sat. II, 3, 152

Ni tua custodis, avidus jam haec auferet heres.
„Men vivo?“ Ut vivas igitur, vigila.

sat. II, 5, 4

Iamne doloso
Non satis est Ithacam revehi patriosque penates
Adspicere?

---

[1]) Litera „e“ hic et sat. II, 3, 152 omissa est. Qua de re cf Draegerum, l. c. I, p. 312.

sat. II, 5, 76

Putasne

Perduci poterit tam frugi tamque pudica?

sat. II, 7, 88

Potesne

Ex his ut proprium quid noscere?

Nos vertamus „kannst du etwas?“

epist. I, 10, 14

Novistine locum potiorem rure beato?

epist. I, 16, 31

Cum pateris sapiens emendatusque vocari:
Respondesne tuo, dic sodes, nomine?

epist. I, 19, 14

Quid? si quis voltu torvo . . . . .
. . . . . simulet . . . Catonem,
Virtutemne repraesentet moresque Catonis?

epist. II, 2, 65

Praeter cetera me Romaene poemata censes
Scribere posse inter tot curas totque labores? [1])

---

[1]) Saepe „ne“ alii verbo atque ei quod constructione grammatica effertur, adnecti apud scriptores, ut ex hoc exemplo similibusque apparet, iam ab Heindorfio in adnot. ad sat. I, 6, 43 „die enklitischen partikeln que, ne, ve werden also, wie so oft in der griech. poesie und selbst in der prosa τε, bei dichtern umgestellt“ et a Kruegero l c. p. 716 not. 2 expositum exemplisque probatum est. Quae constructio a recentioribus grammaticis figura ἀπὸ κοινοῦ appellata est (cf. Gossrauum, lat. gram. § 480, 1, b). Deinde autem scriptores ad eam licentiam progressi sunt, ut, siquando ex verbo, quo exprimeretur interrogatio, penderet accusativus cum infinitivo, particulam „ne“ non adnecterent illi ipsi verbo, sed potius insererent enuntiato inde pendenti velut in eo exemplo, quod modo protuli, ubi „me Romaene poemata scribere posse censes?“ exstat pro „censesne me Romae etc“ cf. Hand., l. c. IV, p. 75. Exempla, quae apud Horatium inveniuntur, sunt haec: epod. 11, 11; sat. I, 5, 65; sat. I, 10, 21; epist. II, 2, 148. Quo modo transitum fieri arbitror ad eas interrogationes, quibus indignatio inest et quae a „ne“ incipientes constructionem sive acc. c. inf. sive coniunctivi vel nudi vel cum „ut“ coniuncti induant. Atque etiam in disiunctivis enuntiatis „ne“ eis verbis, quae disjunguntur et ob eam rem opponuntur inter se, non affigitur: sat. I, 2, 63; sat. I, 8, 2; sat. II, 3, 246; epist. I, 3, 12; epist. I, 15, 15.

C.

Responsio, quae exspectatur, est affirmativa ita ut is, qui quaerat, postulet ab eo, quem interrogat, ut assentiatur. His igitur locis „ne“ particula proxime ad „nonne“ significationem accedit cf. Hand. Turs. IV, p. 74; Kuehnerum, l. c. II, p. 1002; Madvig. l. c. § 462 a.

epod. 4, 7

Videsne, ...
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio?

sat. I, 3, 20

Quid tu?
Nullane habes vitia? Immo alia et fortasse minora.

sat. II, 7, 61

Estne marito
Matronae peccantis in ambo iusta potestas?
In corruptorem vel iustior.

epist. I, 11, 4

Cunctane prae campo et Tiberino flumine sordent?

epist. I, 17, 38

Quid? qui pervenit, fecitne viriliter? Atqui
Hic est aut nusquam, quod quaerimus.

In hoc loco plerique interpretes haeserunt, cum ignorarent, quid sibi vellent verba „atqui hic est aut nusquam, quod quaerimus.“ Nihilominus mihi quidem verba sensu satis probabili carere non videntur. Qua de causa liceat mihi, totum sententiarum nexum paucis exponere. Horatius postquam Scaevae, amico natu minori, suasit, ut Aristippi vivendi ratione uteretur, cui, quo magis illustraretur, cynici philosophi praecepta opposuerat, versibus 33—42 efficere studet, eum, cui favorem principum sibi conciliare et servare contigerit, non minus dignum esse, qui laudibus efferatur, quam qui bello feliciter gesto triumphaverit. Tamen non neminem esse, qui perductus timore, ut contingat id quod sibi proposuerit, ignave a consilio destiterit. Sed quid Scaevae videri de eo iudicandum esse, qui benevolentiam fautoris potentis sibi accquisiverit? Viriline ratione usum esse

illum an viro indigna? Cum autem ei, qui favorem principum sibi conciliaverit, animo virili opus sit, quo labores suscipiat et constanter perferat, in promptu esse, eum viriliter egisse.

Quam interpretandi rationem si probaverimus, sententiarum nexum bene se habere apparebit omniaque verba suum locum obtinere. Horatius enim hac interrogatione usus revera experiri studet, quid Scaeva sentiat, quamquam ipse non ignorat, quae respondenda sint. Itaque particula „nonne“ non utitur, ne quid ipse sentiat, indicet cf. Obbarium a. h. l. Sed quoniam exposuimus qua de causa Horatius particula „ne“, quae hic idem significat quod „nonne“, usus esset, examinare mihi liceat, qua ratione subsequens sententia cum interrogativo enuntiato cohaereat. Ac vix operae pretium est commemorare, quaestionem „fecitne viriliter“ subsequenti enuntiato oppositam esse ita ut „atqui“ exstet in posteriore membro conclusionis (cf. Kuehnerum, l. c. II, p. 696), cuius propositio maior, ut ita dicam, sit „hic pervenit ad id quod sibi proposuerat“, propositio minor „atqui (nun aber) hic (= in eo quod aliquis favorem principum sibi conciliat) est quod quaerimus (= virilis ac strenuus animus), conclusio „ergo is, qui pervenit, viriliter egit.“ Quae conclusio etiamsi distinctis verbis non exprimitur, tamen mente supplenda est (cuius rei exempla Kuehnerus l. c. attulit) cf. etiam ea, quae Ritterus a. h. l. dixit.

Inter haec exempla referendus esset etiam locus, qui exstat in epist. I, 1, 91, si recte Bentleius coniecisset. Nempe id quod optimi codd. exhibent „quid pauper? ride: mutat“, Bentleius mutavit in

epist. I, 1, 91

Quid pauper? viden’, ut mutat cenacula?

Quae conjectura quamquam a Bentleio magna cum subtilitate prolata est, tamen prorsus refutanda est. Nam omnino non est cur in lectione a libris mss. tradita haereamus, cum difficultatem praebeat nullam.

D.

Jam accedimus ad eas interrogationes, quibus indignatio inest, quae modo levius exprimitur modo acrius. Quo de genere interrogationum disputavit Hand. Turs. IV, p. 81.

a.

Hic eos locos enumerabo, ubi is, qui interrogat, indicativo modo in quaestione posito indicat se rem, quae vere est, moleste ferre.

od. III, 5, 5

Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus vixit?

epod. 7, 3

Parumne campis atque neptuno super
Fusum est latini sanguinis?

sat. I, 6, 38

Tune, Syri, Damae, aut Dionysi filius, audes
Deicere de saxo cives?

sat. I, 10, 21

O seri studiorum, quine putetis
Difficile et mirum Rhodio quod Pitholeonti
Contigit?

Hoc loco particulam „ne" interrogativam casui nominativo pronominis relativi adjunctam esse, eum, qui rem accuratius perspexerit, non effugiet. Tamen non defuerunt, qui illud „quîne" ex „qui" id est „qua ratione" et particula „ne" eodem modo compositum esse existimarent, quo „uterne", ut particula „ne" nihil aliud efficeretur, nisi ut adverbii „qui" interrogativi vis augeretur. Veluti Kellerus epil. II, p. 507 sic disputat „dieses quine ist, was bis jetzt noch niemand beachtet zu haben scheint die vollere form fuer quin, nichts anderes; und qui ist somit nicht eigentlich der nominativ, sondern der instrumental-modalis". Quocum congruere Bentleium apparet ex scribendi ratione „quine". At omnes grammatici (cf. Kuehnerum, l. c. II, p. 1004; Draegerum, I, p. 313; Hand. IV, p. 77; Holtze, synt. prisc. II, p. 262, b.) iudicant, eam locutionem ex ellipsi „isne est, qui", vel „egone sum qui" etc. exortam esse ita, ut pronomen relativum cum particula interrogativa arte coaluerit. Atque ego quidem ab opinione Kelleri et Bentleii recedo primum quod Kellerus ea, quae contendit, nullo modo accuratius confirmavit exemplisque probavit, deinde quod vix credibile est, Horatium uno loco ve-

tustam formam retinuisse cum decurtata saepissime utatur, tum quod ne „quin“ quidem apud Horatium in oratione recta cum conjunctivo conjunctum exstat, denique, quod ille conjunctivus „putetis“ sententiarum nexu postulari mihi videtur et si „qui“ pronomen relativum hoc loco esse probamus, facile explicari potest [1]). Jam vero inquirenti mihi accuratius in hanc rem ei loci in mentem venerunt, quibus etiam cum accusativo pronominis relativi „ne“ conjunctum est. Loci sunt hi Plaut. mil. glor. I, 1, 13; Vergil. aen. 10, 673; Catull. 64, 180 sqq. „An patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui? Conjugis an fido consoler memet amore, Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?“ Etenim si particulam „ne“ omittimus et hoc et illo loco, e sententiarum nexu apparet, illud pronomen non interrogativum sed relativum esse. Hoc igitur loco „qui“ pro nominativo habendum est, ut particula „ne“ interrogationi efficiendae inserviat; in eis autem exemplis, ubi „ne“ cum pronomine vel adverbio interrogativo conjungitur, particula abundantia quadam addita vim interrogativam pronominis vel adverbii auget.

sat. II, 7, 34

Nemon oleum fert ocius? ecquis
Audit?

sat. II, 7, 75

Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
Tot tantisque minor?

epist. II, 2, 148

Quod quanto plura parasti
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?

---

[1]) Handinm erravisse, qui Turs. IV, p. 77 et 78 contendit, in ejusmodi sententiis non poni conjunctivum et ob eam rem hoc loco „putatis“ legendum esse, ineptumptu est neque causa est, cur a tradita lectione recedamus. Nam plures et meliores codices praeter binos ordinis secundi et tertii (Parisini 7993 et 8213; Dessaviensis A et Gothanus B 61) exhibent „putetis“ (cf. Kellerum, II, p. 507), ut hanc lectionem optimam esse appareat Atque facile perspicitur, quare Horatius conjunctivum scripserit. Nam illo modo causam afferri praecedentium verborum „o seri studiorum“, quis est qui nesciat? (cf. Heindorfium a. h. l.).

Particulam „ne“ miro quodam modo hoc loco usurpatam esse, Kruegerus recte quidem animadvertit (in edit. epist.), sed rem distinctius non explanavit. Itaque mihi liceat paucis adnotare, particulam „ne“ arbitrio quodam in conclusione positam esse, ubi particulam nullam exspectaremus.

b.

Sequitur ut eos locos afferam, quibus absolutus conjunctivus in interrogationibus directis cum indignatione prolatis exstat. Quo interrogandi genere is, qui loquitur, leviter significat, se suspicari, alterum a se aliquid iniqui postulare, quam postulationem interrogando refutat. Particula autem „ne“ addita, quae in ejusmodi interrogationibus plerumque pronominibus personalibus affigitur (cf. Krazii opusculum paulo infra commemoratum p. 26) cum subtilitate quadam indicatur, eum, qui sciscitatur, in dubio esse, utrum ea, quae suspicetur, recte se habeant necne. Qua de re accuratissime disputaverunt Krazius „die sogenannte unwillige oder missbilligende frage mit dem conjunctiv, mit ut und dem conjunctiv, mit dem accusativ und infinitiv (progr. gymn. Stuttgart. 1862, p. 21—26); Kuehnerus II, p. 1006 et 1007; (cf. etiam Muellerum, ueber die sogenannten unwilligen oder missbilligenden fragen im lateinischen; progr. Görlitz 187? p. 6—7, 18—19); Draegerus l. c. I, p. 279; Obbarius, der affectvolle ausruf und die frage der verwunderung oder auch des unwillens bei Horaz, philologus tom. 25 (1867) p. 544.

sat. I, 10, 78

Men moveat cimex Pantilius, aut cruciet quod
Vellicet absentem Demetrius?

epist. II, 3, 265

Non quivis videt immodulata poemata judex,
Et data Romanis venia est indigna poetis.
Idcircone vager scribamque licenter?

c.

Uno loco in ejusmodi interrogationibus conjunctivum a particula „ut“ pendentem invenimus, qua structura is qui sciscitatur id, quod alter revera inique postulavit, acerrime repellit. Cogitatione igitur aptissime potest suppleri „postularine potest?“

Atque etiam hoc loco particula „ne“ adjuncta dubitationem levem ejus qui loquitur, exprimi liquet. Illa autem particula „ne“, quae primitus verbo postulandi affixa erat, postquam illud verbum per ellipsin omissum est, retenta et in enunciato pendente posita est. cf. Krazium, l. c. p. 29; p. 26—35; Kuehnerum, II, p. 1007—1008; Muellerum, l. c. p. 13—17; Handium, Turs. IV, p. 83; Obbarium in philol. tom. 25 (1867) p. 542—43.
sat. II, 5, 18

Utne tegam spurco Damae latus? Haud ita Trojae
Me gessi certans semper melioribus.

Restat ut breviter dicam de uno loco, ad quem sanandum editores et interpretes mirum quot conjecturas inter se diversas protulerunt. Exstat autem in
sat. I, 1, 108

Illuc, unde abii, redeo. nemon ut avarus
Se probet ac potius laudet diversa sequentes?

ubi plurimi codices primi et secundi ordinis (cf. Kellerum, epil. II, p. 431—432) exhibent eam, quam protuli lectionem. Quae lectio ab editoribus nonnullis atque etiam a Bentleio auctoritate duorum codicum Blandiniorum commoto recepta est et duplici modo explicari potest. Particulae enim „ut“ aut vis comparativa inhaeret, velut Braunhardus in editione Horatii 1833 anni judicavit, et in „nemon se probet“ indignatio vel admiratio inest, aut „ut“ cum particula „ne“ interrogativa in „nemon“ arte conjungendum est, ut indignatio eodem modo his verbis „utne“ exprimatur, quo sat. II, 5, 18. Id igitur omnes, qui „nemon“ legunt, consentire necesse est, admirationem vel indignationem his verbis exprimi. Atque in hanc sententiam interpretari videntur etiam Acro et Porphyrio. Illa autem indignatio a totius satirae ratione jam ab initio ejus dilucide prolata prorsus abhorret; atque etiam sententia, quae ex subsequentibus verbis efficitur, obstat (vv. 113—119). Etenim Horatius, qui hoc sermone docere studet, cum alios homines tum maxime avaros nunquam contentos futuros esse, hoc loco omnia, quae hucusque protulerat, paucis complectitur. At si cum indignatione his verbis poeta quaereret sententiam proferret ei contrariam, quam ab initio sermonis confirmandam sibi proposuerat. Quae cum ita sint, codicum opti-

morum lectio „nemon ut“ et opiniones eorum, veluti Bentleii (usus sum editione 1869 anno in lucem prolata), Jahnii, aliorum, qui indignationem hic exprimi existimaverunt, prorsus rejiciendae sunt. Atque tertii ordinis codicum lectionem „ne non sit“ silentio praetermittendam esse censeo, quippe quae nullo modo explicari possit. Sed codicis Blandinii quarti, qui dicitur vetustissimus, lectionis quamvis improbabilis mentionem facere liceat mihi, qui legit „qui nemo ut avarus“, ea de causa quia illam lectionem Cruquius et ex recentioribus editoribus Meinekius, Hauptius, Lehrsius, L. Muellerus receperunt, Hermannus (cf. Leipz. Lit. Zeit. Nr. 251. — 1829) comprobare et confirmare conatus est. Illi autem viri docti haec verba explicaverunt rationibus inter se plane diversis, quae conamina Schuetzius (in edit. satir. 1881) sagacissime refutavit. Atque etiam Reisigius verba distinguit „qui? nemo ut avarus se probet?“ ita, ut duplici interrogatione utatur. Quam interpretandi rationem parum probabilem esse, Orellius (edit. III, 1850) docuit. Nipperdeius autem, Fritzschius, Doederlinius (Horat. sat. Leipz. 1860) quorum priores „quia“, Doederlinius nemoque“ legunt, in ea re consentiunt, a scriptura codicis vetustissimi Blaudinii emanasse, quam auctoritate hujus unius codicis sustentari et sensu probabili carere elegantiaque poetica Schuetzius demonstravit. Quae cum ita sint, cum ex nulla earum, quas protuli, lectionum sententia satis probabilis efficiatur, aliorum codicum scripturam probandam esse judico, quorum in numero tertius Blandinius primum locum obtinet. Legitur enim in illis libris mss. „nemo ut“ ita, ut hiatus inter illa verba intercedat. Illa autem scriptura „nemo ut“ a paucis codicibus tradita, ab optimorum librorum „nemon ut“ sola litera „n“ adjuncta differt, ut verisimile sit, librarios jam antiquissimis temporibus in hiatu offendisse et, ut illum tollerent, literam „n“ vocabulo „nemo“ adjecisse. Quam emendandi rationem librarios illis locis, ubi in difficili lectione haerebant, secutos esse confirmat Kellerus ad carm. III, 14, 11, epil. I, p. 235 sq. Itaque lectionem, quam Kruegerus, Orellius, Ritterus, Kirchnerus, Kellerus, alii in textum receperunt, „nemo ut“ primitivam fuisse in promptu est. In hiatu autem offendendum non est propterea quod producta syllaba „mo“ in „nemo“ posita est in arsi. Cujus modi

exempla apud Vergilium locisque duobus apud Horatium inveniuntur (carm. I, 28, 24; epod. 13, 3; cf. Wagnerum, quaestiones Vergilianae Nr. XI). Huc accedit, quod lectio aptissime potest explicari. Nam „ut“ notione finali positum cum „illuc“ arte conjungendum et constructio contracta est, ita ut „ut nemo se probet avarus“ exstet pro „ut dicam neminem avarum se probare“. Cujus rei exempla sunt sat. I, 2, 15; Cic. ad Att. VI, 9; de fin. V, 26; IV, 19, 55; de leg. III, 15, 33; II, 3, 6; Quintil. VII, 1, 35; Corn. Nep. Hann. 1. Qua interpretatione comprobata omnia apte inter se cohaerere et quasi ad amussim sibi respondere manifestum est.

d.

Restat ut eas interrogationes vel ut rectius dicam exclamationes commemorem, quae constructione accusativi cum infinitivi proferuntur. Quo interrogandi genere, quod apte comparari potest cum accusativo nudo in exclamationibus usitato, Horatius eis locis utitur, ubi is, qui quaerit, aliqua re ita concitatur, ut neque accurate considerare neque distincte enuntiare possit, quid de illa re sentiat. Unde fit, ut exclamando loquens nihil aliud indicet nisi id, se illa re eodem ipso tempore vehementissime affici. Cujus generis in exemplis ellipsin, ut voluit Zumptius (lat. gram. § 609), statui necesse non est.

cf. Kuehnerum, l. c. II, p. 531—33; Draegerum, I, p. 305 et 306; Krazium p. 35—40; Muellerum l. c. p. 19—21 et „zur lehre vom infinitiv im lateinischen, progr. Görlitz 1878, p. 12; Obbarium philol. tom 25, p. 541—42; Kruegerum, lat. gram. §§ 333, 571.

epod. 11, 11

Contrane lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium? querebar adplorans tibi.

sat. I, 9, 72

Huncine solem
Tam nigrum surrexe mihi!

sat. II, 4, 83

Ten lapides varios lutulenta radere palma
Et Tyrias dare circum inluta toralia vestes?

sat. II, 8, 67

Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum?

2.

Interrogationes „ne“ partioula introduotae obliquae.

Tres inveni locos, ubi particula „ne“ in obliqua interrogatione posita est.

sat. I, 4, 64

Nunc illud tantum quaeram, meritone tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi.

sat. I, 5, 65

Donasset jamne catenam
Ex voto Laribus, quaerebat.

sat. II, 3, 253

Quaero, faciasne quod olim
Mutatus Polemo? ponas insignia morbi?
(= et ponas).

II.

Ea exempla, quae nunc proferam, ab iis quae modo enumeravi, ita differunt, ut interrogatio enuntiativa non per „ne“ simplicem particulam introducatur, sed „ne“ particula pronominibus interrogativis, quae ipsa per se inserviunt formandis interrogationibus, adnectatur. Quo modo vis particulae „ne“ interrogativa tantopere evanuit, ut per se non interrogationem indicet, sed pronominibus atque etiam particulae disiunctivae, ‚utrum“ apud Horatium affixa, ut supra demonstravi, vim interrogativam illorum vocabulorum augeat et acuat. Qua de re disputaverunt Handius, l. c. IV, p. 78; Draegerus, l. c. I, p. 313; Kuehnerus, l. c. II, p. 1005. Pronominibus interrogativis addita est „ne“ particula his locis

1.

Oratio est reota.

sat. II, 2, 107

Uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui
Pluribus assuerit mentem corpusque superbum,
An qui contentus parvo . . . aptarit idonea bello?

Hic pronomen interrogativum „uter“ particula „ne“ auctum interrogationi disiunctivae praemittitur ita, ut „uterne“ subsequente interrogatione quodammodo in suas partes dividatur.

sat. II, 3, 295

Quone malo mentem concussa? Timore deorum.

2.

Oratio est obliqua.

sat. II, 3, 317

Illa rogare,
Quantane, num tantum, sufflanse, magna fuisset.

§ 1. b.

Interrogationes particula „nonne" introducuntur.

Jam accedimus ad eos locos, quamvis pauci sint, quibus per „nonne“ quaeritur. Quae particula ex „non“ et „ne“ composita affirmativum responsum requirit, cum is, qui interrogat, id se quaerere simulet, quod alter concedat assensuque probet necesse est. cf. Kuehnerum, l. c. II, p. 1011; Draegerum, l. c. II, p. 313; Madvig., l. c. § 462, c. Krueger. lat. gram. § 515, 2; Gossrau., lat. gram. p. 489.

sat. I, 2, 111

Nonne cupidinibus statuat natura modum quem,
Quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?

Tribus subsequentibus exemplis, quae omnes eandem interrogationem „nonne vides“ exhibent, levem adhortationem inesse existimem.

od. I, 14, 3

Nonne vides ut . .
Antemnaeque gemunt, ac
Vix durare carinae.
Possunt imperiosius
Aequor!

sat. I, 4, 109

Nonne vides, Albi ut male vivat filius?

sat. II, 5, 42

Nonne vides, ...

. . . ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?

Ex his exemplis apparet, Horatium particula „nonne“ raro usum esse. Saepius apud eum invenitur „non“, simplex negandi particula, qua interrogatio vi quadam majore atque affectu profertur. Cujus rei causam ex alacri sermocinandi quo poëta utitur genere, repetendam esse judico. Atque etiam apud priscos poetas latinos ita rem se habere ab Holtzio, „synt. prisc. p. 268, 19 et 249, d confirmatum est.

In interrogationibus obliquis apud Horatium particulam „nonne“ non inveni cf. Draeger. II, p. 464.

§ 2. a.

De particula „num" interrogativa.

Particulam „num“ e pronominis demonstrativi radice, non e *μῶν = μὴ οὖν*, ut Reisigius affirmat, exortam et accusativum generis neutrius esse, omnes fere viri docti consentiunt (cf. Boppium, l. c. I. aufl. p. 535; aliter Reisigius, vorlesungen ueber lat. sprachw., herausg. v. Haase p. 471) Pottio excepto, qui in libro, qui inscribitur „etymol. forsch. II, p. 149 et I, p. 106 et 366, (II. aufl.“) contendit, „num“ particulam esse coalitam ex duabus partibus „ne“ — „um“, quarum priori negatio, alteri pronomen indefinitum inesset. Sed eum erravisse, luculenter et magna cum sagacitate demonstravit Max. Schmidtius „commentatio de pronomine Graeco et Latino (1832) p. 61 et 97, qui arbitratur, in particulis „num, nam, enim“ cognosci posse quasi vestigia pronominis, quod ne in antiquissimis quidem monumentorum reliquiis linguae latinae inveniatur, sed in lingua sanscritica aut demonstrandi aut affirmandi habeat vim vel notionem, atque affirmat, in „num“ eandem significationem temporalem inesse, atque in „dum, tam, cum.“ Propria igitur vis hujus particulae est „hoc tempore“ vel „hac rerum condicione“ ita ut „num pater venit“ idem sit ac „paterne venit hoc tempore?“ [1])

[1]) At tria exempla. quae Handius l. c. IV, p. 316 protulit, ut efficeret, apud Livium et Plinium „num“ exstare sensu temporali, claudicant et omnibus locis „nunc“ scriptum fuisse pro „num“ verisimile est cf. Draegerum l. c. I, 314.

Postea autem genuina significatione temporali, quae non servata est nisi in „etiamnum", imminuta factum est, ut „num", cum praecipue in quaestionibus usurparetur, sensim particulae interrogativae naturam indueret. Vestigia autem levia notionis temporalis aspici possunt iis locis, ubi „num" eodem modo, quo „utrum" ita positum est, ut praecedat interrogationi, quae ab insequente pronomine „quidnam" vel aliis inchoet eandemque quasi introducat vel praeparet cf. Corssenum, krit. beitr. z. lat. formenl. (1863) p. 290—92. Cujus usus exempla profert Holtzius l. c. II, p. 270, e. Eandem sententiam secutus est Handius, l. c. IV, p. 315 sqq., qui gothicum „nu, nuna" ejusdem originis ac „num" esse demonstrat. Et nos quoque in sermone vulgari dicimus: „nun? wie gehts?" vel „na? wie ist's?" ita ut adverbium temporale praemittamus subsequenti interrogationi [1]). Aurea vero linguae latinae aetate primitiva vis particulae „num" in interrogationibus prorsus evanuit et „num" non adhibetur, nisi ad interrogationem indicandam.

De usu particulae „num".

„Num" particula ut apud alios scriptores ita etiam apud Horatium non invenitur nisi in eis interrogationibus, in quibus is qui quaerit, suspicando negativam sententiam praecipit ita ut semper negativa responsio exspectetur cf. Kuehnerum, l. c. II, p. 1009. Suo igitur jure Handius, qui omnes interrogationes enuntiativas in duo genera dividit, quorum utriusque propria sit forma, interrogationes per „num" introductas inversas appellat, quippe cum is, qui per „num" quaerit, non de aliqua re certior velit fieri sed interrogando id sequatur, ut sententia, quam antea sibi informavit, probetur ita ut sensu negativo respondeatur. Quomodo autem hic usus exortus sit, in ambiguo est,

---

[1]) Temporalis notio servata est iis locis, ubi voculae „num" syllaba demonstrativa „ce", quae exstat in „hicce, hiccine", affixa est, ut paulatim e „nunce" adverbium temporale „nunc" fieret cf. Haasium, vorles. ueber lat. sprachw., herausg. v. Eckstein I, p. 116. Qua cum voce, quae genuinam vim, mutata forma, maxime integram retinuit, apte comparari potest in lingua graeca νυν, quae vox ex eadem qua „num" et „nunc" stirpe profecta est v. M. Schmidt. l. c. p. 97 et 61, G. Curtium, grundz. der griech. etym. II. aufl. p. 285; Ebelium, zeitschr. für vergl. sprachw. VI, p. 207.

neque grammatici de ea re disserunt cf. Draegerum l. c. I, p. 314; Handium, l. c. IV, p. 318. Kuehneri quidem opinione l. c. ille usus repetendus est ex interrogationibus cum admiratione quadam dictis, in quibus is, qui interrogat, rem de qua quaeritur, omnino fieri posse vix existimet. Equidem vero a Kuehneri opinione recedo; nam causa, cur semper negativa responsio exspectetur, potius in etymologia posita esse mihi videtur, etiamsi nunc perspici non potest.

I.

„Num" in interrogatione recta posita est.

1.

„Num" semel exstat.

od. I, 24, 15

Quid? si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem:
Num vanae redeat sanguis imagini? Durum [1]).

[1]) Hic praemisso pronomine „quid" a quo interrogatio incipit, „num" in altero sententiae condicionalis membro usurpatur aeque ac sat. II, 1, 65, ubi „cum" idem valet ac „si". Ac plures iidemque meliores codd. exhibent „quid, si — num" (cf. Kellerum et Holder. edit. I, p. 40, Kellerum, epil. I, p. 88 — 89.) neque dubitari potest, quin ex his verbis aptissima sententia efficiatur. Itaque non est causa cur in illis haereamus praesertim cum eadem structura verborum etiam altero loco apud Horatium inveniatur (v. supra) et lectio bene ad universam carminis rationem concitatam quadret. Quae cum ita sint, plurimi editores velut Lambinus, Ritterus, Dillenburgerus, Nauckius in lectione compluribus codicibus tradita acquieverunt, quamquam non defuerunt, qui auctore Bentleio ex codice Montepessulano scriberent „quod si — non". Qua conjectura quid proficiatur, non intellego. Et quod Orellius, ut suam lectionem „quod si — non" sustentaret, affirmat „quid si etc. esset excitantis", valde errat. Nam Obbarius haec exponit: „mit dem indicativ des praesens verbunden dient es (nempe „quid si") zur einleitung eines auftrages oder einer aufforderung, deren erfuellung man bestimmt erwartet (carm. III, 9, 17; Cic ad fam. VI, 4 quid, si hoc muto? und oft), waehrend bei dem conjunctiv nach den folgen gefragt wird, welche eintreten wuerden, wenn das im fragesatze ausgesprochene in erfuellung ginge; z. b. Ovid. met. IX, 327 f.: Quid, si tibi mira sororis Fata meae referam? was wuerde geschehen, wenn ich dir das wunderbare schickal meiner schwester erzaehlte?" serm. II, 7, 42 f.; epist. I, 16, 8, ibid 219 f. epist. I, 19, 12 ff. — An unserer stelle ist dem-

od. II, 12, 21

Num tu quae tenuit dives Achaemenes
. . . . . opes . . . . . .
Permutare velis crine Licymniae?

sat. II, 1, 65

Quid? cum est Lucilius ausus
Primus . . . componere carmina:
.. . Num Laelius aut . . . .
. . . doluere?

2.

Particula „num“ anaphora repetitur.

sat. II, 2, 27—28

Num vesceris ista,
Quam laudas, pluma? cocto num adest honor idem?[1])

sat. I, 2, 114, 115, 116

Num, tibi cum fauces urit sitis, aurea quaeris
Pocula? Num esuriens fastidis omnia praeter
Pavonem rhombumque? Tument tibi cum inguina, num . . .
. . . . malis tentigine rumpi?

3.

Identidem apud Horatium particnlae „an“ praecedit „num“, qua structura facile adduci possumus, ut putemus, „num — an“ particulis effici interrogationem disiunctivam. Et profecto plurimi editores in eum errorem inciderunt. Loci sunt hi

---

nach der gedanke: was wuerde geschehen, wenn du Orpheus'kraft besaessest, welcher durch seinen gesang baeume in bewegung setzte? wuerdest du damit todte zu erwecken im stande sein, welche den goettern einmal anvertraut sind? — Ausserdem aber machen dergleichen fragen die rede viel lebhafter als jene mit quod si „eingeleiteten“.

[1]) Inter voculas „num — adest“ non elisio exstat, sed hiatu quodam literae omnes pronunciantur, qua de re accurate disputat Kirchnerus edit. satir. (1854) II, 2, p. 44 (cf. Bentleium, Schuetzium, Kellerum et Holderum a. h. l.). Itaque conjecturis, ut nonnulli voluerunt — Nic. Heinsius legit „coctone adest honor idem?“ sed vocalem „e“ elidi non vult; Bentleius suspicatur „coctone etiam est honor“ — opus non est.

epod. 3, 6

Quid hoc veneni saevit in praecordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit, an malas
Canidia tractavit dapes?

sat. II, 5, 58

Num furis? an prudens ludis me obscura canendo?

Primum locum Cruquius, Bentleius, Kellerus et Holderus, Ritterus, Lehrsius, Schuetzius, Nauckius et alterum praeter illos Heindorfius, Doederlinius (cf. ea, quae ad sat. I, 2, 114 adnotavit), Kirchnerus, quorum editiones inspexi et inter se contuli, ita distinguunt, ut in promptu sit, illos viros doctos habuisse hos locos pro interrogationibus disiunctivis. Cum igitur illi, quos modo commemoravi, interrogationes a „num" et ab „an" incipientes non distinguerent nisi commate posito atque etiam Cruquius „num" particulam illis locis esse accipiendam pro „utrum" dicat, unus Orellius priore loco post „fefellit", altero etiam Kruegerus atque Kellerus et Holderus interrogandi signum post „furis" aptius posuerunt. Et recte quidem. Nam ea quae vetustiores grammatici ut Kruegerus lat. gram. pag. 696 et 697, Ramshornius, lat. gram. § 174, 3, c, quos initio etiam Handius, Turs. I, p. 334 secutus est, praeceperunt, „num" locum habere in quaestione disiunctiva, recentiores rejecerunt ac refutaverunt cf. Draeger., I, p. 343 (= 316 I. aufl.), Kuehnerum, II, § 234, 9; Gossravum l. c. § 419, 4, 4; Madvigium, opusc. acad. attera p. 230; Hand. IV, p. 321. Ac si quis haec exempla, quae in medium protuli, accuratius examinaverit, intelleget, duas esse interrogationes inter se non conjunctas, quarum prior a „num" incipiens sententiam exprimat negativam „non fefellit, non furis" et interrogando neget, altera particula „an" adjuncta priori non opponatur sed longius progrediens „responsum certa conjectura praecipiendo" priorem corrigat. Nos particulis utimur „oder vielmehr." In interrogatione autem vere disiunctiva duas partes aeque esse dubias oportet, quarum aut una aut altera confirmetur, neque is qui sciscitatur dijudicat, utra pars vera sit. Hi igitur loci explicandi sunt epod. 3, 6 num viperinus cruor occulto immixtus est cibo? Sed haud scio an res ita se non habeat.

Nam multo verisimilius est, infamem illam veneficam escam corrupisse, sat. II, 5, 58 num tu divinatione quadam captus et incensus animo praesagienti vera enuntias? At hoc incredibile videtur esse et malim putare, me simulanti tibi vaticinationem ludibrio esse.

Uno loco ironia levis vel irrisio interrogatione a „num“ incipiente exprimitur.

epod. 8, 17

Quid, quod libelli Stoici inter sericos
Jacere pulvillos amant:
Inliterati num minus rigent,
Minusve languet fascinum?

II.

In oratione obliqua „num“ negandi partes non suscipit vel retinet, sed tantum veram dubitationem vel ignorantiam indicat. Nos vertimus per „ob“.

1.

„Num“ semel positum est et

A.

praecedit nulla nulla alia interrogatio.

sat. I, 3, 35

Denique te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura.

sat. II, 8, 81

Quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagoena.

B.

Per „num“ accuratius ea, quae in praecedente interrogatione a pronomine incipiente in universam dicta sunt, accuratius exprimuntur.

sat. I, 6, 36

Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus
. . . . quaerere cogit.

2.

„Num“ anaphora repetitur, ut nos quoque dicimus „ob — ob“. Qua in structura duae vel tres interrogationes non ita, ut simili modo atque particulis „num — an“ in interrogationibus directis positis altera corrigatur ab altera sed potius ut paris sint momenti continuantur cf. Kuehnerum, l. c. II, p. 1009. Errare autem videtur Heindorfius l. c., qui alterum „num“ explicet per „num potius“. (cf. Duentzerum a. h. l. II, p. 261.)

A.

Praemittitur nulla alia interrogatio.

sat. I, 4, 77—78

Hoc juvat, haud illud quaerentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno.

sat. I, 10, 57

Quid vetat . . . .
Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos.

B.

Interrogatio in universum dicta praemittitur et distinctius quaestionibus a „num“ incipientibus in suas partes dilatatur.

sat. II, 3, 317—318

Illa rogare,
Quantane, num tantum, sufflans se, magna fuisset.
Major dimidio. Num tanto? —

epist. I, 18, 98—99

Percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum,
Num te semper inops agitet vexetque cupido,
Num pavor et rerum mediocriter utilium spes.

Hoc loco non est, cur Cruquio et Bentleio auctoribus, quos Schmidius in editione et Madvigius (advers. crit. II, p. 62) sequuntur, genuinam lectionem „num“ optimorum codicum fide et auctoritate probatam — omnes scilicet quoque codd. Blandinii exhibent „num“ cf. Kellerum, epil. III, p. 684 et in edit. II, p. 275 — in „ne“, particulam finalem, mutemus. Nam qua re

commoti illi viri doctissimi deteriorum codicum lectionem in ordinem verborum receperint, perspicuum non est, quippe cum Bentleius causam certam nullam, Schmidius parum probabilem afferat. „Non“ id quod pauciores iidemque deteriores exhibent libri mss., vix interpreteris, cum „num“ difficultates praebeat nullas. Vertendum enim est ita, ut e „percontabere“ suppleatur „et disce, quid te impediat, quominus beate vivas, num te etc.“ cf. etiam Obbarium in edit. epist. 1847, II, p. 465.

§ 2b.

De particula „numquid“.

„Numquid“ exortum est e „num“ particula interrogativa et e „quid“, neutro genere pronominis indefiniti, cujus vis adhuc perspicitur sat. I, 4, 136; ibid. I, 9, 6; ibid. II, 6, 53 (cf. M. Schmidtium l. c. de pronomine p. 56; Kuehnerum l. c. II p. 1009) ita ut duobus e vocabulis una notio efficiatur. Qua de causa rectius „numquid“ non „num quid“, qua scriptura Kruegerus in gram. lat. saepius utitur, scribendum est. Sed memorabile sane videtur Horatium „numquid“, quo interrogatio acui solet (cf. Handium Turs. IV, p. 324) non eadem ratione usum esse, qua simplici „num“. Cum enim particula „num“ in interrogationibus directis apud Horatium ita usurpetur, ut responsio negativa exspectetur nunquam affirmativa, vocabulo „numquid“ — qua forma adhibita vividi nescio quid interrogationi aspergitur — vera dubitatio vel ignorantia exprimitur; immo uno loco is, qui per „numquid“ quaerit, etiam affirmativam responsionem exspectare videtur.

I.

Responsio affirmativa exspectatur.

sat. II, 6, 53

Numquid de Dacis audisti? „Nil equidem“ Ut tu
Semper eris derisor.

E verbis „ut tu semper eris derisor“ apparet sciscitantem responsioni datae „nil equidem“ fidem non habere, cum speraverit, alterum affirmativo sensu responsurum esse.

II.

Altero loco interrogatione a „numquid“ incipiente vera dubitatio expressa videtur.

sat. I, 4, 136

Hoc quidam non belle; numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile?

Quo in exemplo jam conjunctivo „faciam“ dubitativo indicatur, Horatium non audere quid judicet leviter significare.

III.

Indignatio quaedam vel improbatio conspicitur in hac interrogatione.

sat. I, 9, 6

Cum adsectaretur: „num quid vis?“ occupo. At ille
„Noris me“, inquit, „docti sumus“.

„Numquid vis“ formula est abeuntis, ut ait Donatus ad Terent. Eun. II, 3, 49. Persaepe legitur apud comicos poetas, qui plenius scribunt „numquid nunc aliud me vis?“ Ter. Eun. II, 3, 72 cf. Brixium, ad Plaut. Trin. I, 2, 155; Holtzium, l. c. II, p. 271. Sciscitatur igitur illa formula usus is, qui discedit, cum urbanitate quadam ideoque praecipit neque certam affirmationem neque negationem cf. Madvig. lat. spr. § 462, b. Nihilosecius hoc loco Horatium responsionem negativam si non exspectasse tamen desideravisse affirmaverim, cum e toto sententiarum nexu appareat, Horatium cupivisse, molestum inquisitorem tandem abire.

IV.

Duobus locis negativa responsio exspectatur.

sat. I, 2, 69

.... Quid vis tibi. Numquid ego a te
Magno prognatum deposco consule cunnum?

sat. I, 4, 52

.... Numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret?

Cum Teuffelii opinio, qui de his verbis disputat (cf. Jahrbücher für philologie, 1875, p. 122) et contendit, „quid“ in „numquid“ vetustum esse ablativum in „d“ exeuntem, hoc loco

probari possit interpretatione, tamen multi inveniuntur loci, ubi illa Teuffelii explicatio apta non est, sed e toto sententiae nexu efficitur, „quid“ esse accusativum neutrius generis. Praeterea illa Teuffelii opinio refutanda est propterea quod si non apud Horatium, at certe apud multos illius aetatis scriptores oblativus „numqui“ vetustus invenitur, ut, si etiam „numquid“ pro ablativo habendum esset, uno eodemque tempore duae inter se diversae formae in usu fuissent, in quarum altera litera „d“, in quam antiquissimis temporibus ablativi casus exierunt, servata (v. Kuehnerum, I, p. 114) et in altera omissa esset.

§ 2c.

Similiter ac „numquid“ etiam „ecquid“ usurpatum est, quod vocabulum contractum est ex „ec“ = ecce, adverbio locati vo, et indefinito pronomine „quid“ cf. Madvig. lat. spr. § 462, b. adnot. Hand. II, 352 sq.; Kuehnerum l. c. § 228, 1 et § 141, 6 (accedit § 133, 9); Pott. etymol. forsch. II. aufl. I p. 417. [„ecquis“ invenitur semel tantum sat. II, 7, 34 „ecquis andit“]. Uno tantum loco apud Horatium „ecquid“ inveni, ubi poeta magno animi motu ita interrogat, ut affirmatio exspectetur.
epist. I, 18, 82.

Ecquid
Ad te post paulo ventura pericula sentis?

§ 3.

Eae interrogationes, in quibus particula exstat nulla.

In exstrema hujus dissertationis parte de iis interrogationibus mihi dicendum est, in quibus interrogatio nulla particula, sed accentu vel ictu indicatur. Quod interrogationum genus priscis linguae latinae temporibus ac praecipue a Plauto saepe usurpatur iis locis, ubi revera quaeritur, cum apud scriptores, quos classicos appellamus, atque etiam apud Horatium raro interrogationi verae efficiendae, qua responsio desideratur, inserviat. Plerumque enim ejusmodi quaestionibus affectus quidam exprimuntur vel postulatur, ut ei, qui interrogat, assentiamur cf. Kuehnerum l. c. II, p. 999; Draegerum l. c. I, p. 308.

A.

Ea interrogationes, quae vocula „non“, carent.

a.

Ac primum quidem liceat mihi eos locos enumerare, ubi is, qui interrogat responsionem exspectat.

od. I, 27, 9

Voltis severi me quoque sumere
Partem Falerni? dicat Opuntiae
Frater Megillae.

Hic interrogatio pro sententia condicionali posita est cf. epist. I, 6, 29

sat. I, 1, 73

Nescis quo valeat nummus, quem praebeat usum?

sat. I, 1, 81

Habes, qui
Adsideat, fomenta paret?

sat. I, 9, 26

Est tibi mater,
Cognati, quis te salvo est opus?

sat. I, 9, 76

...... licet antestari?

sat. II, 1, 5

Ne faciam, inquis,
Omnino versus? — Ajo.

sat. II, 3, 13

Invidiam placare paras virtute relicta?

sat. II, 3, 160

Quid? si quis non sit avarus,
Continuo sanus? Minime.

sat. II, 3, 192

Ergo consulere et mox respondere licebit?
Consule.

sat. II, 3, 264

Redeam? Non, si obsecret.

sat. II, 6, 44

Hora quota est? Thraex est... Syro par?

epist. I, 10, 15—20

Est ubi plus tepeant himes, ...
Est ubi divellat somnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum?

epist. II, 1, 206

Dixit adhuc aliquid? Nil sane.

epist. II, 3, 205.

Spectatum admissi risum teneatis, amici?

b.

In subsequentibus exemplis is qui sciscitatur postulat, ut id quod interrogatione expressum est, probemus.

sat. II, 2, 94

Das aliquid famae?

sat. II, 3, 78

Modo, inquam,
Hellade percussa Marius cum praecipitat se,
Cerritus fuit?

epist. I, 6, 29

Vis recte vivere (quis non?): (?)
Si virtus hoc una potest dare, ...
Hoc age ...

epist. I, 19, 35

Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus: (?)
Non ego .... dignor.

c.

Adhortatio quaedam secunda persona indicativi praesentis in interrogatione posita exprimitur his locis.

epod. 9, 21

Jo triumphe, tu moraris aureos
Currus et intactas boves? (= noli morari)

sat. I, 2 77

Tuo vitio rerumne labores,
Nil referre putas? (= noli putare)

sat. II, 2, 76

Vides, ut pallidus omnis
Cena desurgat dubia? (= vide)

sat. II, 3, 155

Tu cessas? (= noli cessare)

sat. II, 6, 92

Vis tu homines urbemque feris praeponere Silvis
(= praepone)

epist. I, 2, 39

Si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
(= noli differre)

d.

Plerumque iis interrogationibus, quae particula interrogandi non introducuntur, affectus significantur.

α.

Maestitia quaedam inest tribus locis.

od. I, 24, 5

Ergo Quintilium perpetuus sopor Urguet?

od. I, 25, 8

Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis?

sat. II, 5, 101

Ergo nunc Dama sodalis
Nusquam est?

β.

Cum admiratione quaeritur.

od. IV, 1, 2

Intermissa, Venus, diu
Rursus bella moves? parce precor.

sat. I, 1, 86
Miraris, cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet, quem non merearis, amorem?
sat. I, 4, 93
Ego si risi . . . .
Lividus et mordax videor tibi?
epist. I, 12, 12
Miramur, si Democriti pecus edit agellos
Cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox?
Cum tu inter scabiem tantam . . . .
Nil parvum sapias?

γ.

Irrisio exprimitur interrogatione.

sat. II, 2, 48
Quid? tum rhombos minus aequora alebant?
sat. II, 3, 65
Insanit veteres statuas Damasippus emendo:
Integer est mentis Damasippi creditor?
sat. II, 3, 123
Filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres,
Dis inimice senex, custodis? Ne tibi desit?
sat. II, 3, 162
Non est cardiacus . . . .
Hic aeger: recte est igitur surgetque? Negabit.
sat. II, 3, 304
Quid? caput abscisum manibus cum portat Agave
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?
sat. II, 7, 102
Tibi ingens
Virtus atque animus cenis responsat opimis?

δ.

Saepissime indignatio inest quaestioni, ubi
1) indicativus exstat in interrogatione.

od. I, 27, 13
Cessat voluntas? non alia bibam
Mercede.

od. I, 28, 30

Neglegis inmeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere?

od. III, 24 42

Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis et facere et pati,
Virtutisque viam deserit arduae ?

sat. I, 6, 41

Hoc tibi Paulus
Et Messalla videris?

sat. II, 3, 132

Cum laqueo uxorem interimis matremque veneno,
Incolumi capite es?

sat. II, 3, 201

Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras . . . .
Rectum animi servas?

sat. II, 3, 213

Cum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo et purum est vitio libi . . . cor?

sat. II, 3, 220

Quid? si quis gnatam pro muta devovet agna,
Integer est animi?

sat. II, 3, 273

Quid? cum Picenis excerpens semina pomis
Gaudes, si cameram percusti forte, penes te es?

epist. II, 2, 19

Dicta tibi est lex:
Insequeris tamen hunc et lite moraris iniqua?

epist. II, 2, 79

Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere?

epist. II, 2, 154

Et cum sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior es, tamen uteris monitoribus isdem?

epist. II, 2, 205—211

Non es avarus: abi. Quid? cetera iam simul isto
Cum vitio fugere? Caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine et ira?
Somnia, terrores, magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior et melior fis accedente senecta?
Quid te **exempta levat** spinis de pluribus **una**?

epist. II, 3, 331

At haec animos aerugo et cura peculi
Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro?

2) Ab iis, quas adhuc commemoria interrogationibus eae de quibus nunc mihi disputandum est, recedunt.

Nam iis interrogationibus, in quibus particula „ut“ cum coniunctivo coniuncta vel nudus conjunctivus exstant, alterius postulatio cum indignatione quadam vel improbatione vehementissime repudiatur. cf. ea, quae supra dixi, ubi de particula „ne“ disserui, et Krazium l. c. p. 29 et 30; Muellerum „über die sogenannte unwillige frage“ etc. p. 13 et 16; Obbarium, philol. tom. 25 p. 542—44.

epod. 17, 56, 59

Inultus ut tu riseris Cotyttia
Volgata . . . (et) . . . .
Impune ut urbem nomine impleris meo?

sat. I, 3, 93

Quia pullum . . . . . .
Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
Sit mihi?

sat. I, 10, 30

Scilicet oblitus patriaeque patrisque Latini,
. . . . . patriis intermiscere petita
Verba foris malis?

sat. II, 3 182

In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis?

sat. II, 7, 40

Tu cum sis quod ego et fortassis nequior, ultro
Insectere velut melior, verbisque decoris
Obvolvas vitium?

epist. I, 7, 63

„Neget ille mihi?“ Negat improbus.

epist. I, 16, 38

Mordear opprobriis falsis mutemque colores?

epist. II, 2, 86

Verba lyrae motura sonum conectere digner?

epist. II, 2, 126

Praetulerim scriptor delirus inersque videri?

Uno loco exstat accusativus cum infinitivo, de quo interrogandi genere cf. ea, quae p. 41 dixi et Kuehnast. liv. synt. p. 246 epod. 8, 1

Rogare longo putidam te saeculo
Viris quid enervet meas?

B.

Vocabulum „non“ positum est in interrogationibus quae particulis interrogativis carent.

Ab interrogationibus per „nonne“ formatis valde abhorrent eae, quae tantum „non“ exhibent. Differunt enim eo, quod semper proferuntur impetu quodam vel affectu animi ita, ut accentus in negatione ponatur, neque ullum inveni apud Horatium exemplum, quod ab hac ratione recedens veram interrogationem haberet. Atque utuntur hoc interrogandi genere apud Horatium aut ii, qui interrogatione cum indignatione prolata indicant, se moleste ferre quod aliquid vel sit vel fiat, aut ii, qui mirantur, quod alter aliquid non facit, cum rerum condicio postulet, ut illud faciat, alterumque interrogando gravissime adhortantur, ut faciat illud. Quo modo efficitur, ut plerisque hujusmodi interrogationibus adhortatio quaedam insit cf. Handium, l. c. IV, p. 309. Atque in nostra lingua eiusmodi interrogationes ita exprimuntur, ut accentus in negatione ponatur.

I.

Secunda persona indicativi praesentis in ejusmodi interrogationibus adhortatio exprimitur.

od. I, 15, 22
Non Laertiaden, exitium tuae
Gentis, non Pylium Nestora respicis?

od. III, 20, 1
Non vides, quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae? [1])

sat. I, 3, 125
Non nosti, quid pater, inquit,
Chrysippus dicat?

sat. II, 7, 21
Non dices hodie, quorsum haec tam putida tendant? [2])
Futurum tempus auget et acuit imperandi vim.

edist. I, 1, 48
Discere et audire et meliori credere non vis?

epist. I, 2, 33
Ut iugulent hominem, surgunt de nocte latrones:
Ut te ipsum serves, non expergisceris?

---

[1]) Sententia est: incredibile esse mihi videtur, te non videre periculum, quamquam qua stultitia ac temeritate te geris, revera periculum animadvertere non videris. Nunc vero cum tibi ostenderim, quanto in periculo verseris, caveas periculumque evites. — Quo modo interrogando adhortatur poeta.

[2]) In distinguendo hoc loco editores usi sunt diversa ratione. Nam Cruquius, Bentleius, Orellius Duentzerus, Heindorfius, Doederlinius commate post „hodie“, posito illud vocabulum cum „dices“ conjungunt, L. Muellerus autem, quem Kruegerus secutus est, vocabulum „hodie“ inserit interrogationi a verbo „dices“ pendenti, ita ut explicet per „hoc die“ id est „Saturnalibus.“ Sed multo probabilior videtur Bentleii et aliorum, quos supra commemoravi distinctio, qui „hodie“ accipiunt pro „illico.“ Nam Handius, Turs. III, 98 demonstravit exemplisque satis multis comprobavit, „hodie“ pro „illico“ exstare, neque dubitari potest, quin illa significatio optime ad totum sententiarum nexum hoc loco quadret. Nam Horatius cum indignatione et impatientia servum adhortatur, ut tandem, quid sibi velit, proferat cf. Duentzerum et Kirchnerum, qui aptissime locum vertunt.

Wolfius et Zumptius, qui ad Cic. Verr. 3, 52, 121 contendit, numquam in apodosi „non“ sed „nonne“ poni, aeque erraverunt atque Handius, qui Turs. IV, 313 eorum sententiam probat. Luculentissime enim cum ex eis exemplis, quae Kuehnerus l. c. II, p. 1112 attulit, tum ex nostro loco, quo codices miro quodam consensu „non“ exhibent, confirmatur, „non“ eodem jure, quo „nonne“ sedem habere in apodosi cf. Reisig. l. c. § 275 adn. 437.

II.

Subsequentibus locis indignatio quaedam expressa.

sat. I. 10, 52—54

Age, quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Atti,
Non videt versus Enni gravitate minores?

sat. II, 2, 102

Ergo,
Quod superat, non est melius quo insumere possis?

sat. II, 7, 56

Tu cum projectis insignibus, anulo equestri
Romanoque habitu, prodis ex judice Dama
Turpis, ...:
Non es quod simulas? [1])

---

[1]) Sic cum Kruegero plurimisque editoribus distinguo. Unus Doederlinius in editione satir. (1860) post „simulas“ comma posuit et haec verba ad protasin adnumeravit ita, ut a praecedente „cum“ penderent et apodosis a metuens induceris“ inciperet. Cujus distintionis causam affert hanc: waehrend Davus ganz harmlos geniesst, beginnt die freude des moechus mit schimpflicher verkleidung und heuchelei, verlaeuft unter angst und zittern und nimmt ein ende mit schrecken.“ Sed quam perverse et infeliciter fecerit vix dicere opus est. Nam probata Doederlinii ratione ea ipsa, in quibus totius rei cardo vertitur, prorsus tolluntur. Apparet enim ex universae satirae ratione, servum Horatii id ipsum efficere studere, neminem liberum nisi sapientem esse ac saepe dominos magis libertate et sapientia carere, quam servos. Nam si domini ad eam imprudentiam progrederentur, ut etiam insignia ordinis deponerent et ad fruendas libidines illicitas irreperent servilibus vestibus induti, eos multo magis revera pro servis habendos esse libertateque vera carere, quam qui rerum necessitate coacti servorum quidem muneribus fungerentur, sed sapientioribus essent animis.

sat. II, 7, 111

Qui praedia vendit,
Nil servile gulae parens habet?

epist. II, 1, 53

Naevius in manibus non est et mentibus haeret
Paene recens?

Duo mihi afferendi sunt loci, ubi vel conjunctivus a particula „ut“ pendens in interrogatione negativa exstat, qua strutcura is quaerit ea, quae alter revera postulavit, vehementissime refellit, vel nudus conjunctivus, quo modo is qui interrogat, indicat se suspicari, alterum aliquid postulaturum esse, et eam postulationem, etiamsi revera verbis alterius expressa non est, tamen praeoccupando indignissime rejicit. Loci sunt hi

sat. II, 3, 262

Nec nunc, cum me vocet ultro,
Accedam? [1])

epist. I, 18, 16—18

Alter, rixator de lana saepe caprina,
Propugnat nugis armatus. Scilicet, ut non
Sit mihi prima fides et, vere quod placet, ut non
Acriter elatrem? pretium aetas altera sordet.

Cum interpretes nonnulli in hac interrogatione haeserint, ego omnia, quae sunt alicujus momenti verba adscripsi. Ritterus enim deleto interrogandi signo post „elatrem“, hoc modo interpretatur: verba „ut non sit“ item „ut non elatrem“ pendent ex „pretium aetas altera“ (= si altera aetas pretium tacendi feratur) sordet, id est „pro nihilo mihi erit.“ Simili ratione Bachius (Zimmermann, zeitschrift für die alterthumswissenschaft 1834, p. 1043) et Lambinus. Quae interpretandi ratio etiamsi fortasse

---

Itaque bene interpretatur Orellius „nonne tunc reapse es, quod te esse simulas, servus nequam?“ Huc etiam referenda sunt ea, quae vv. 40, 47, 58, 70, 80, 83 a Davo insolentius proferuntur. Haec igitur verba pro interrogatione habenda esse apparet.

[1]) „Nec“ cum apud Ciceronem tum apud Horatium hoc loco positum esse pro „ne—quidem“ Madvigius luculenter demonstravit in edit. Cic. de fin. p. 83 et 821—828.

probari potest, quippe cum a praeceptis grammaticorum non abhorreat, tamen ad vivacitatem sermonis male quadrat, quae in tota epistula cernitur. Cui opinioni assentitur Krazius l. c. p. 30 et 34 adnot. et Cruquius adnotat „ut non sit“ etc. haec eo usque „acriter elatrem?“ in omnibus fere scriptis cum interrogatione leguntur.“ Jam vero Kruegerus exemplis comprobavit „scilicet“ ita poni ut aliquid inusitati vel adnotatione digni indicet. Quae cum ita sint, hoc loco post „elatrem“ interrogandi signum ponendum est et haec verba „scilicet-elatrem“ pro interrogatione cum indignatione prolata habenda sunt.

VITA.

Carolus Gustavus Albertus Grabenstein natus sum die IV. mensis Maii a. h. s. LVI Soltquellis, in urbe Palaeomarchiae, patre Dietrich, matre Sophia e gente Kamieth, quos adhuc superstites valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis imbutus adii gymnasium Soltquellense, quod tunc a viris doctis Wentrup, Assmus, Legerlotz deinceps regebatur eorumque auspiciis florebat: quorum ceterorumque praeceptorum, imprimis Hempelii, viri carissimi, in me merita grato animo teneo. Auctumno a. h. s. LXXVII testimonio maturitatis instructus Berolinum me contuli, ubi per quinque semestria philologiae studiosis adscriptus scholas audivi, quas habuerunt vv. dd. Curtius, Droysen, Harms, Huebner, Kiepert, Kirchhoff, Lepsius, Muellenhoff, Mueller, Steinthal, de Treitschke, Vahlen, Zeller. Deinde Halas transmigravi, ubi per ter sex menses me docuerunt vv. ill. Dittenberger, Droysen, Gering, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Kramer, Thiele, Ulrici, Zacher. Seminarii philologici exercitationibus sub auspiciis vv. dd. Dittenberger, Hiller, Keil per tria semestri interfui. Praetera Haym ut exercitationibus philosophicis per sex menses, Keil ut societati philologicae per duo semestria, Zacher ut societati theodiscae per sex menses interessem, benigne permiserunt. Quibus omnibus viris optime de me meritis, imprimis W. Dittenbergero et J. Zachero gratias ago quam maximas semperque gratiam habebo.



